


05

A

1945





Dilputationum.

ANTIPHOTI-

NIANARUM

SEXTA

De

Tertio hominis

statu, qui est,

REPARATIONIS

IN INCLYTA VVITTEBERGENSI

ACADEMIA

Proposita

à

NICOLAO HUNNIO,

S. Theol. Doct. & Prof. publ.

Respondente

JOHANNEDOLMANNO

Rigà-Livono

Ad diem 14. Junij.

WITTEBERGÆ.

Typis Heredum Johannis Richteri.

ANNO M. DC. XX.

ANTHONY

MARIA

1772

TERTIO NOMINE

facti, qui est.

REPARATIONIS

IN INCERTIS



NICOLAUS

1772

JOHANNES

1772

Ad anno 1772

WILHELM

Papa-Herzog Johann's Richter

ANNO M. DC. LXXII





Præstantissimo & Literatissimo

Dno. Respondenti, Commensali & amico
suo plurimum colendo.

Nonnisi qui certat, palmam de quæ hoste reportat,
Consequitur merito pulchra brabea suo.

Sic **D O L M A N N E** tibi mens debellare Photinam


Gentem: **V I C T O R E M T E F O R E** quis dubitet?

Ergò tuo merito mactaris laudis honore,

Ornabit quæ olim **D I A C O R O N A** caput?

acclam.

M. Johannes Rotlöben VViteb. Fa-
cult. Philos. Adjunctus.



ERgò meis iterum lituis accendero pugnam
quæ pugnanda tibi, Christo duce & auspice Christo,
Pars animæ victura meæ, **D O L M A N N E** colende?
Ergò iterum accinctus bello, me classica poscis?

Sic est; intepuit mucro, jam cominùs hostem
lustratum, sparsâ ad pugnam præludit arenâ;
Stant densæ strictisquæ acies mucronibus horrent
utrinquæ, atquæ hæret pede pes, densusquæ viro Vir.

Quare age, Te quæ virum præsta, dstringito ferrum

P H O T I -

Ipse ego cordatis animabo pectora Habris,
inque mares animos verbi sacra tympana tundam:
Cædito, figito, tundito, fundito, sternito gentem
sacrilegam, ut Dacos repetat, gentemque repu-
sarmaticam, levis illa cohors, levis ille manipulus,
sic debellato post tot certamina bello.

Hoc voveo, & certè hoc (palpo sine dixero) spondent
JANE Tui Juvenes stantesque in limine vitæ
anni; læta mihi hoc gravitas, roburque juventæ,
editiusque caput, spondetque modestia præcox,
gratiaque, & tali cata mens maturior ævo.

Quæis mihi mactæ, estoque Tuus; nec dirime litem;
Ten' Patriæ tandem? an Patriam Tibi grater? an ambos
utrique? utrique hoc Patria & Tu JANE mereris.

*Votivâ hâc προς Φωνήσσει amicè
gratulatur*

Martinus Nordanus.



SECTIO TERTIA.

De TERTIO HOMINIS STATU,

qui est,

REPARATIONIS.



Vergò, qualiter è suis miseris eluctetur homo, & qualiter post restaurationem se habeat, cognoscamus; ea quæ tanquam causæ & effectus huc propriè faciunt, videbimus, *ordine* inter illa constituto *aliquo*, etsi non exquisito; nec enim hic venamur ordinis *arbitrari*, & in articulorum huc pertinentium dispositione unumquemvis suo sensu abundare patimur. Omnia verò, quæ ad hunc statum spectant, ad duo capita revocamus, quorum unum est, *ipsa hominis restitutio*, alterum, *hominis restituti conditio*. In *restitutione* occurrunt hæc tria. 1. Dei restituentis actus, sive opera. 2. Istorum actuum organa, seu media 3. Restaurationis tempora. *Actus* credimus quidem maximè conjunctos, & tantùm non omnes ad unum coeuntes, attamen, docendi gratia distinguimus, secuti in primis scripturam, quæ de illis distinctim loquitur, deinde quoque Ecclesiam, quæ & ipsa ad imitationem sacrarum literarum eosdem distinctè tractavit. Sunt ergò illi *duplices*, quidam sic comparati, ut Deo tribuantur, tanquam unico agenti, dum interim homo se purè passivè habeat: Quidam verò à potentiâ, & operatione solius quidem Dei proveniunt, sic tamen, ut actus ipsi in homine ejusque facultatibus excitentur, & Deo solo autore, in illis perficiantur. Sub *priore* genere sunt. 1. *Conversio*, 2. *Regeneratio*.

Qq

neratio.

Disputatio sexta, in qua Respondit JOHANNES DOLMANNVS, Rigæ Libanus.

neratio. 3. Justificatio, quæ ipsa in se complectitur peccati non-imputationem, seu remissionem, & sanctitatis, justitiæ, aliorumquæ beneficiorum per Christum partorum imputationem. *Posterius* genus pœnitentiam continet, cujus duæ sunt partes, Contritio & Fides. *Media* seu *organa*, per quæ Deus isthæc omnia operatur, sunt duæ generum; nempe verbum & sacramenta. *Verbum* geminum est, legis, & Evangelii. *Sacramenta* sunt in Novo Testamento duo, Baptismus, & sacra Cœna. *Tempora*, quibus diversimodè egit Deus cum restaurando homine, vel egisse videri potest, sunt duo illa *Testamenta*, unum Vetus, alterum Novum. *Restituti conditio*, tribus absolvitur, consistens 1. In *vita* piè instituenda, seu bonis operibus, quorum studium dicunt novam obedientiam. 2. In *societate* vel conjunctione spirituali, simul & externa; qua sanctorum cives sibi uniuntur invicem, ut fiant una societas, una spiritualis civitas, una familia, imò unum corpus sub Christo capite, soletque dici *Ecclesia*, cum ratione interioris spiritualis unionis, tum ratione exterioris *πολιτείας*, vel *οικονομίας*. 3. In *officio*, quod triplicem statum sive ordinem constituit, *Ecclesiasticum*, *politicum*, & *æconomicum*. Quam futuræ tractationis *Νε' Θεου* ne ob contentorum copiam sit obscura, exhibebit clarius hæc tabella.

In

instatu reparationis considerantur hominis

I. Restitutio, ubi has tria

1. Actus sive opera, quae Deum habent causam agentem, vel

1. Sine assumptis humanis facultatibus, uti sunt

2. In humanis facultatibus, quas ad agendum excitat, & novis viribus donat, & est

1. Conversio, 2. Regeneratio, 3. Iustificatio, quae ipsa comprehendit

1. peccati non-imputationem seu remissionem 2. Justitia, aliorumque beneficiorum Christi imputationem.

penitentia quae rursus conditio actibus

1. Contritione, 2. Fide.

2. Media, sive organa per quae Deus operatur, sunt

1. Verbum

Legis Evangelij

2. Sacramenta, quae in N. T.

1. Baptismus 2. Sacra Coena

3. Tempora, variationia pro variatione Testamentorum

Veteris, & Novi.

II. Restituti conditio, quae consistit in

1. Vita pietate, 2. Sanctorum societate, 3. Officij dignitate, quod triplex

1. Ecclesiasticum, 2. Politicum, 3. Oeconomicum.

Qq 2

CA:



CAPUT I.

De

REPARATIONE HOMINIS

In genere.

Thesis Orthodoxa.

1.



Gnoscimus Christiani gratâ mente, quòd postquam peccatum hominem invasit, Deus humanum genus non unâ cum (a) Satanâ catenis tenebrarum ligatum iudicio divino asservandum censuit, sed misericordiâ motus (b) mundum adeò dilexit, ut filium unigenitum, servatorem, & restauratorem benignè daret.

2.

Totum verò illud æternæ salutis negotium nihil est aliud, quàm hominum lapsorum REPARATIO, ac (c) restitutio in eum statum, è quo illi peccando exciderant.

3.

De hoc autem statu ita sentimus: Restitutionem esse in hac quidem vitâ (d) inchoatam, in alterâ verò (e) perfectam, & consummatam.

4.

De posteriore *συνήθει* agemus, quando ad *quartum statum* fuerit perventum: nunc de inchoatâ solliciti nō attendimus propriè bona *corporis*, quæ suo tempore (f) plenissimè restituentur, quando peccatum (g) è corpore humano radicitus evulsum fuerit; sed consideramus bona *spiritualia*.

Quæ

Quæ in restitutione hominis omninò reddi credimus, nempe 1. (b) Dei notitiam, 2. (c) innocentiam, ut (k) nulla peccata ad pœnam, & damnationem impotentur, 3. (l) justitiam, non quidem inhærentem, attamen (m) imputatam. 4. (n) conscientia tranquillitatem.

Ut sic redeat homo in eum statum, è quo prius exciderat, non quidem, dum hic vivit, absolutè ac perfectè, attamen, quoad (o) spirituales conditionem, eodumque, ut (p) ingressus illi patefiat ad æternam vitam, quæ (q) perfectè, & cum largo fœnore omnia bona, quæ unquam amissa fuerunt, reddet.

(a) 2. Pet. 2. v. 4. (b) Joh. 3. v. 16. (c) Matth. 18. v. 11. Luc. 15. v. 4. 8. sq. Rom. 5. v. 15. sq. (d) Rom. 8. v. 23. 1. Cor. 13. v. 9. 11. 12. (e) 1. Cor. 13. v. 10. 12. cap. 15. v. 43. 44. 1. Joh. 3. v. 2. Phil. 3. v. 21. (f) Matth. 22. v. 30. 1. Cor. 15. v. 43. (g) Rom. 6. v. 7. (h) Col. 3. v. 10. Joh. 1. v. 17. (i) Eph. 5. v. 26. Act. 15. v. 9. Heb. 10. vers. 22. (k) Rom. 8. v. 13. 34. Esa. 53. v. 4. 5. Mich. 7. v. 18. 19. (l) Dan. 9. v. 24. Joh. 1. v. 17. (m) Rom. 4. v. 4. 5. sq. (n) Rom. 5. v. 1. cap. 14. v. 17. (o) 1. Cor. 15. v. 48. 49. (p) Matth. 25. v. 21. Joh. 14. v. 6. Eph. 3. v. 12. (q) Rom. 8. v. 18. 11. Cor. 2. vers. 9. Matth. 13. v. 43.

Thesis Photiniana.

Quamvis homines per agnitionem Dei, & Christi, nec non promissiones per Christum revelatas aliquatenus restaurari forsàn dici possint, ea tamen, quæ ab Evangelicis sic dicitur, restitutio voce commodiore (a) via salutis nuncupatur.

Estq; ratio in promptu: quia monstratur quidem via ad æternam salutem perveniendi, (b) nec tamen restituuntur homines peccatores in eum statum, è quo peccando ceciderant.

(a) Catech. Jacob. pag. 17. sq. (b) Socinus de statu pri. hom. cap. 10. p. 286.

ERROR I.

9.

Quamvis homines per agnitionem DEI, & Christi, nec non promissiones per Christum revelatas aliquatenus restaurari, forsitan dici possint, ea tamen, quæ ab Evangelicis sic dicitur, restitutio, voce commo- diore via salutis nuncupatur.

Frequenter in ore est adversariis, dicere, *salutis viam*, (*Catech. Racoviensis* hoc termino utitur pag. 17. seq.) cum non audiatur facile vox *reparationis*, *restorationis*, aut *restitutionis*, vel quæ similis. Consilium non satis exponunt, colligitur tamen ex dogmatibus aliis. Siquidem enim sentiunt, quosvis homines per Christi officium, per Evangelicas promissiones, aliosquæ divinos actus ad æternam salutem nostram facientes eò per- duci, solos autem peccatores restitui, (cum interim nullâ re- stitutione indigeant justis, & qui lapsi nunquam fuerant; quales non quivis homines,) adeoque duntaxat quosdam eorum, ut restaurentur indigere; certè nil faciunt aliud, quàm ut inficien- tur, quòd ista hominum ad æternam beatitatem perductio in- reatur nomen *restorationis*, vel *restitutionis*.

EXAMEN.

10.

In generali tractatione hujus tertii status hominum, qui *reparationis* est, duo præcipuè notamus: 1. Restitutionis no- men 2. ejusdem effectum. Photiniani circa *prius* errant, nomen variando; circa posterius, quòd homines eò restituantur, unde sunt lapsi, negando.

11.

Errorem priorem, nî sub eo latitarent cœteri, facilimè, & perlubenter illis condonaremus; nolumus enim quenquam
repre-

reprehensum, qui sine fuce, & eundem sensum utrobique retinens, vel hanc vel illam vocem usurparit; cum verò hic error sit aliorum proles, eum confodere placet, opposito illi hoc themate; *Omnia quæ inserviunt homini in peccata prolapsa, ut is ad æternam salutem perducatur, una appellatione commodius dicuntur peccatoris restitutio, vel reparatio, quàm via salutis.* Quod inde probamus.

I. Quia vox RESTITUTIO propius accedit ad phrasin scripturæ. Fatemur, Christum salvatorem appellari *viam* *Johan. 14. v. 6.* & negotium salutis parabolâ viæ latæ & angustæ declarari, *Matth. 7. v. 13. 14.* & alibi, sed restitutio à lapsu peccati compluribus loquendi modis, quos scriptura adhibet, non tantum parabolicos, sed quosdam etiam planos ac simplices, multò rectius congruit. Quales sunt: Qui in Adamo constituti fuere peccatores, justi constituuntur *Rom. 5. v. 9.* *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi;* estque hîc notabilis vox Apostolica *κατασκευασθησονται, constituentur*: quid enim est, eum, qui prius factus fuerat peccator, constituere justum, quàm lapsum erigere, ac restituere? *Ovicula errans ad ovile reducitur*; id quod integra parabola tractat *Luc. 15. v. 4. seq. quod perierat salvatur. Matth. 18. v. 11.* *Venit filius hominis, salvare quod perierat. Mortui ad vitam revocantur Joh. 5. v. 25. Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent. Ephes. 5. v. 14. Surge, qui dormis, & exurge ex mortuis, & illuminabit te Christus.* Hi alii que modi loquendi arguunt, eos convenientius, & magis cum scripturâ loqui, qui reductionem lapsi hominis ad felicitatem, unde exciderat, & ad æternam salutem, malunt vocare *reparationem* ac *restitutionem*, quàm *viam salutis.* Argumentamur. Appellatio rei Theologicæ propius accedens ad frequentem usum scripturæ, rectius & commodius usurpatur, quàm quæ à scripturâ rarius adhibetur. Sed appellatio *restorationis*, qua negotium humanæ

12.

humanę salutis insignitur, proprius accedit ad frequentem scripturę usum, quàm vocula, *via*. Ergò, *restauratio*, aut *reparatio* de negotio humanę salutis rectius usurpatur, quàm appellatio *VIAE*.

13.

II. Quia *reparatio* multò plenius exprimit negotium salutis, quàm *via salutis*. Via, non plus infert, quàm, quod homo viam à Deo monstratam decurrat; id verò, anne fiat per vires humanas, vel divinas, per actiones hominis, vel Dei, minimè monstrat; Cum interim, qui *reparationem* dicit, hominem in eo negotio patientem, Deum agentem, & efficaciter operantem faciat: hoc autem magnoperè est necessarium: nam si maximè homo in concreatâ perfectione perstitisset, non tamen potest dubitari, quin is aliquando in plenissimam usurpationem divini aspectus fuisset admissus, adeoque transisset (sine morte tamen) in vitam beatiorem, qua certè ratione vita hujus seculi fuisset decursus ad alteram, & *via* quædam plenioris, & auctioris salutis; nec tamen, vel reparatione indignisset, vel restitutione ulla; cum ergò nunc præter talem decursum, *via*, divinitus etiam monstratæ sit opus *actionibus Dei* hominem lapsum erigentis, restaurantis, eas verò appellatio *viae* non exprimat, econtrà, id faciant nomina *reparationis* & *restitutionis*, his utique commodius utimur. *Argumentamur*. Appellatio, quæ rem significatam plenius exprimit, adeò ut illius necessarias partes significando inferat, ea multò commodior est aliâ, quæ in suo formali significato non involvit rei significatæ constitutiva; & eâ de causâ possit in abusum trahi; Sed appellatio *Reparationis*, necessaria ad negotium nostræ salutis significando, rem illius universam exhibet, cum *via salutis* quædam necessaria omittat, nempe operationem Dei, ideoque in abusum facile possit trahi, quasi Deus tantùm salutis viam ostendat, homo autem viam monstratam naturalibus viribus *decurrere valeat*. Ergò appellatio *reparationis* commodior est, quàm *via salutis*.

III. Quia

III. Quia nulla causa est, ob quam salutis nostræ negotium potius *via*, quàm *reparatio* sit dicenda. Si ab usu vocum Ecclesiastico discedendum est, fieri id convenit per causam validam & sufficientem: hanc autem quia nobis nondum exposuerunt adversarii, utiquè tamdiu retinemus usum antiquum, donec valida ratio eum nobis ademerit, & alium commendarit. Satis de nomine.

14.

ERROR II.

Estq; ratio in promptu, quia monstratur quidem via ad æternam salutem perveniendi nec tamen restituuntur homines peccatores in eum statum, è quo peccando ceciderant.

15.

Socinus de statu primi hominis cap. 10. pag. 286. Neque usquam dictum est, Christum restituisse omnes homines in eum statum, in quo Adamus ab initio fuit, aut in multò excellentiorem; neque id fieri debuisse, vel divina justitia, vel ulla res alia suadere potest. Nusquam scriptum extare, quòd Christus universum genus humanum, in primum illum Adami statum vel alium præstantiorem restituerit, confitebuntur ij, qui sacras literas accuratè perlegerint, in quibus beneficium in homines à Christo collatum, nusquam sub ejusmodi verborum involucris nobis narratur, sed semper id, quod attulit, exprimitur, nulla mentione facta, quòd aut æquet, aut superet bonum illud primo homini in creatione concessum, sed alicubi tantum demonstrato, quod mala quædam cessatura sint in eo statu, in quo per Christi gratiam futuri sumus, quæ in primo illo hominis statu reperiebantur.

EXAMEN.

Quid hac de re sentiamus, jam in thesi exposuimus; scilicet, inchoat Deus restitutionem hominis, quam primum mentem agnitione rerum coelestium collustrat, & fide salvificâ im-

16.

Rr

Deus

Deus intendit, perducta; nec enim cessat augere salutarem Dei agnitionem, fidem, sanctitatis studium, caritatem Dei & proximi, &c. sed crescunt ea sensim, unde in Ecclesia sunt infirmi & fortiores, *Rom. 15. v. 1. Gal. 6. v. 1. Heb. 5. v. 12. 13. 14.* adeò, ut quamdiu præsens vita vivitur, semper ad majorem majoremque perfectionem anniti, & contendere oporteat; usque dum omnimodam integritatem assequamur, ubi transierimus per mortem in vitam omnium beatissimam. Quare, homo restituitur etiam in hoc seculo, in statum eum, ex quo ceciderat, quamvis inchoatè & secundum bona spiritualia; (nam quæ corpus perficiunt, ea reddet mortuorum resurrectio.) Quod probamus.

17.

I. Quia hoc postulat *ἐντίθεσις* Adami & Christi. Legimus semel, atq; iterum, opponi Adamum, ceu patrem humanæ miseriæ, & Christum, tanquam vitæ, ac salutis autorem. *Rom. 5. v. 15. Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi abundavit. v. 18. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. 1. Cor. 15. v. 49. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Notamus voculas comparantes, quarum aliquæ significant æqualitatem, *sic, sicut; ὡς, ὅτι, ὅτι καὶ, καὶ ὡς*, aliquæ supereminentiam beneficiorum Domini, *multò magis*, cujus significatus, manifestus est, & Apostolo in hac materiâ satis frequens, unde in *quarto cap. Rom.* quater usurpatur. *Argumentatio* hinc gemina: *una*: Quicumq; homines ad vitam, & justitiam ita reducit, sicut per Adamum inde exciderant, is homines in eum statum restituit, è quo fuerant lapsi; Sed ita reduxit homines Christus ad vitam & justitiam, sicut indè per Adamum exciderant, Ergò Christus restituit homines in eum statum, è quo fuerant lapsi. *Alter*: Qui taliter comparatur Adamo, ut, quod is malum induxit in humanum genus, ejus oppositum ipse abundanter restituerit, ille hominem in eum statum, (si non feliciorum) reduxit, è quo peccando ceciderat: Sed Christus taliter comparatur Adamo, restituit enim Adamiticos defectus abundanter,

danter, *multo magis, ὡς ἄλλω μᾶλλον*: Ergo Christus reduxit hominem in eum statum (si non feliciorē,) è quo per Adamum ceciderat.

II. Quia hoc postulat comparatio omnium trium statuum; Collationem sumimus è superioribus. 1. Quod in primo statu spiritualia dona fuerint, notitia Dei, sanctitas, justitia, propensio ad bonum, conscientiae serenitas, & suavis cum Deo conversatio. 2. Quod in *statu peccati* mentem hominis occuparit cæcitas, & ignorantia, voluntatem peccatum, & iniustitia, studium mali, fuga boni, conscientiam invaserit tremor, ac horror, denique inimicitia adversus Deum: & ostendere pergitur in *tertio statu* omne illud reddi, quod amissum fuit, tolli, quod per peccatum introiit: idquè hinc *probamus*: Cui redduntur omnia bona spiritualia per peccatum amissa, & expelluntur ab eo omnia mala spiritualia per peccatum introducta, is restituitur ad eam spiritualem conditionem, in qua primitus steterat. Homini per Christum reparando redduntur omnia spiritualia bona per peccatum amissa, & expelluntur ab eo omnia mala spiritualia per peccatum introducta. Ergo homo per Christum restaurandus in eam conditionem spiritualem restituitur, in qua primitus steterat. Minor, quæ in controversiam vocari potest, confirmatur. Bona amissa redduntur: 1. *Notitia Dei*: Matth. II. v. 27. Act. 17. v. 30. Galat. 4. v. 8. Ephes. 1. v. 17. 18. c. 2. v. 12. 13. cap. 4. v. 18. 21. *Justitia* Dan. 9. v. 24. Esa. 53. v. 11. 1. Cor. 1. v. 31. 2. Cor. 5. v. 21. *Sanctitas* 1. Cor. 6. v. 11. 1. Thess. 4. v. 3. Eph. 5. v. 26. Heb. 13. v. 12. *propensio ad bonum*, Rom. 6. v. 4. seq. cap. 7. v. 15. seq. item 24. *Conscientiae tranquillitas*, Rom. 5. v. 1. c. 14. v. 17. Phil. 4. v. 17. *Conversatio cum Deo*, quæ consistit 1. in placido Dei alloquio, quo vocat homines ad felicitatem abs se paratam, Matth. 4. v. 17. cap. 11. v. 28. 2. Cor. 5. v. 20. 2. in filiali alloquio, per quod Deum ut patrem compellamus & invocamus, Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. Econtra; tolluntur mala per lapsum introducta, *cæcitas & ignorantia*, per salutarem Dei agnitionem, in Evangelio restituntur: *peccatum*: Esa. 53. v. 4. seq. Daniel. 9. v. 24. Mich. 7. v. 19. Johan. 1. vers. 29. *Studium peccati & fuga boni*, Roman. 6. vers. 2.

Rr 2

1. Pet. 2.

1. Pet. 2. v. 24. *Conscientia horror* Rom. 8. v. 15. 2. Corinth. 1. v. 12. Heb. 10. v. 19. 1. Johan. 3. v. 21. *Inimicitia adversus Deum*, Rom. 8. v. 7, 8. Ephes. 3. v. 19.

19.

III. Quia hoc postulat descriptio officii Christi. Petitur illa ab effectibus antè recensitis, utpote, quod ovem errantem eò reducit, unde illa erraverat *Luc. 15. v. 4. seq.* Quod perierat salvat *Matth. 18. v. 11.* dormientes exuscitat *Eph. 5. v. 14.* peccatores justificat *Rom. 5. v. 19.* mortuos ad vitam revocat *Johan. 5. v. 25.* Hinc *argumentamur*: Quicumq; errans reducitur, perditus salvatur, dormiens exuscitatur, peccator justificatur, & mortuus ad vitam revocatur, idque *per Christum*, adeò ut non possit ullum spirituale malum nominari, quod per ipsum non sit sublatum, is restituitur per Christum in eam sortem, è qua per peccatum ceciderat. Sed omnis homo errans reducitur, perditus salvatur &c. per Christum, adeò, ut non possit ullum spirituale malum nominari, quod per ipsum non sit sublatum. Ergò omnis homo restituitur per Christum in eam sortem, è qua per peccatum ceciderat.

20.

IV. Quia hoc idem postulat doctrina adversariorum. Negant illi, quicquam spiritualium donorum, aut felicitatis per creationem contigisse primo homini, quod notavimus *Section. 1. cap. 1. err. 6. 7. cap. 2. err. 1.* Econtrà; inficiari non possunt, contigisse homini per Christum beneficia spiritualia, quæ frequenter solent commendare. *Argumentamur*: Si homo nihil habuit spiritualium donorum in primo statu, in tertio autem illi per Christum contigerunt admodum insignia, sequitur, hominem non tantùm redditum esse pristinae felicitati, sed & longè majore fuisse donatum; prius per hypothesein Photinianam est verissimum. Ergò verissimum quoq; est posterius.

CAPUT

CAPUT II.

De
CONVERSIONE

hominis ad Deum.

Thesis Orthodoxa.

RE peccatum fuisse hominem à Deo penitus
aversum, ut neq; mente ipsum (a) agnosceret,
neque (b) amore prosequeretur, nec (c) debito
obsequio veneraretur, nec (d) sincero cultu
honoraret, superiora probarunt.

Quandoquidem verò sic (e) diviserunt peccata ho-
minem à Deo, necesse est ut, si homo æternum salvan-
dus est, ad Deum (f) rursus *convertatur*; quod qualiter
fiat, multis modis in Ecclesia fuit controversum.

Rem autem omnem ad quatuor causarum genera
revocatam, his thematis exponimus. *Causa* 1. est *effi-*
ciens; quæ gemina, primaria, & secundaria. *Primariam*
agnoscimus nullam, præter (g) unicum Deum, cui soli
hæc laus manet, quòd (h) immutet corda, & (i) primos
bonos motus, & conatus hominum generet.

Homo convertendus non plus agit, quàm generan-
dus in sui generatione, & (k) mortuus in resuscitatione,
hoc est, non potest ex se (l) bonum quicquam cogitare,
multò minus (m) effari, minimè (n) facere; ipsum ergò
è genere efficientium exclusum sub causam materia-
lem seu patientem redigimus.

Organica est gemina, 1. (o) Verbum divinum, (p)
corda movens, pungens, persuadens. 2. (q) Baptismus,

Rr 3

qui

qui cum (*r*) foedus conscientiarum cum Deo sanciat, (*s*) Christo discipulos, (*t*) Deo filios spirituales pariat, utiq; hoc modo causa conversionis dici meretur.

6. Huic adjungimus *ministrantem*, verbi preconem; etenim, minister (*u*) Ecclesiam plantat, eamq; Christo (*x*) sponsam adducit, animas, ut (*y*) piscator pisces, ad Christum pertrahit, inde regenerat, & salvat.

7. 2. *Materialis*, quæ hîc intelligitur circa quam; estq; objectum illud, in quod causæ jam recensitæ operantur; idq; considerandum est ratione actuum qui i. conversionem antecedunt. 2. Eandem essentialiter constituunt. *Illos* dicimus, auditum verbi externum, quem (*z*) possibilem naturalibus viribus affirmamus, siquidem & (*aa*) impii, qui nunquam convertuntur, sæpè verbuna audisse leguntur.

8. *Hos* appellamus (*ab*) cordis motum, (*ac*) cordis saxei in carneum transformationem, (*ad*) Spiritus innovationem, circa quos actus omnes versari potest quisquè homo, illos (*ae*) impediendo, non autem eosdem (*af*) operando vel promovendo.

9. Ut autem hoc subjectum sit habile, & conversioni aptum, non requiritur quid positivum, siue dicantur vires, siue probitatis studium, siue desiderium sinceris doctores audiendi; tantùm verò privativum illud, ut (*ag*) non reluctetur Spiritui sancto, & revelata externo sensu hauriat.

10. *Forma* conversionis jam bonam partem tacta est; consistens i. in intellectus (*ab*) illustratione, per salutarem cognitionem Dei. 2. In voluntatis (*ai*) à peccato, & desideriis carnalibus ac mūdānis aversione. 3. Omnium virium tali reformatione, per quam in locum peccati, & quæ ipsi adhærent, succedat (*ak*) amor Dei, vera in
ipsum

ipsum (*al*) fides, (*am*) studium Deo obedientiam præstandi, ac fortis (*an*) conatus, studium, ac intentionem suam in actum perducendi.

Finis est. 1. Ex parte Dei (*ao*) ipsius gloria. 2. Ex parte hominū. 1. Eorum (*ap*) in gratiā receptio. 2. In (*aq*) statum priorem restitutio. 3. (*ar*) æternæ vitæ & salutis collatio.

(*a*) 1. Cor. 15. v. 34. Eph. 2. v. 12. 1. Theff. 4. v. 5. (*b*) Joh. 7. v. 7. c. 15. v. 18. 19. 24. 1. Joh. 2. v. 15. (*c*) Gen. 6. v. 5. (*d*) Rom. 1. v. 21. sq. (*e*) Esa. 59. v. 2. Jer. 2. v. 13. (*f*) Es. 6. v. 10. c. 45. v. 22. Matth. 18. v. 3. (*g*) Jer. 31. v. 18. (*h*) Psal. 51. v. 11. Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26. (*i*) 2. Cor. 3. v. 5. Phil. 2. v. 13. (*k*) Matth. 19. v. 28. (*l*) 2. Cor. 3. v. 5. (*m*) 1. Cor. 12. v. 3. (*n*) Phil. 1. v. 6. (*o*) Psal. 19. v. 8. (*p*) Act. 2. v. 37. Heb. 4. v. 12. (*q*) Johan. 3. v. 5. (*r*) 1. Pet. 3. v. 21. (*s*) Matt. 28. v. 19. (*t*) Tit. 3. v. 5. (*u*) 1. Cor. 3. v. 6. (*x*) Joh. 3. v. 29. 2. Cor. 11. v. 2. (*y*) Matth. 4. v. 19. (*z*) Luc. 8. v. 18. 2. Pet. 2. v. 21. (*aa*) Joh. 6. v. 60. 66. cap. 7. v. 12. c. 8. v. 12. sq. (*ab*) 2. Sam. 24. v. 10. (*ac*) Ezech. 11. v. 19. (*ad*) Psal. 51. v. 11. (*ae*) Act. 7. v. 51. c. 13. v. 46. (*af*) Matth. 5. v. 36. Joh. 15. v. 5. (*ag*) Act. 7. v. 51. (*ah*) Joh. 1. v. 9. Eph. 5. v. 8. (*ai*) Rom. 6. v. 12. Gal. 5. v. 24. 1. Pet. 2. v. 11. (*ak*) Joh. 21. v. 15. c. 14. v. 22. 23. 1. Cor. 16. v. 22. (*al*) Matt. 21. v. 21. Joh. 6. v. 29. (*am*) 1. Cor. 9. v. 27. Eph. 4. v. 2. sq. 1. Theff. 4. v. 3. (*an*) Rom. 7. v. 14. sq. Phil. 3. v. 8. (*ao*) Joh. 12. v. 43. 2. Cor. 8. v. 19. Johan. 12. v. 43. (*ap*) Luc. 15. v. 20. Rom. 5. v. 21. (*aq*) Matth. 18. v. 1. Rom. 5. v. 15. sq. (*ar*) Ezech. 18. v. 32. 1. Pet. 1. v. 9.

Thesis Photiniana

Omnium sensibus est expositum, quod non omnes homines ad fidem convertantur; cujus rei causa, cum in conversionis subjecto, seu homine convertendo hæreat; notanda cum primis sunt illius necessaria requisita, quæ numerantur duo: Unum, quod (*a*) in convertendo homine prærequiratur Dei noticia, quævis imperfectior illa, nimirum, quæ est animi probitas, & studium ea faciendi, quæ Deo probatur.

Alterum; quod (*b*) ea, quam dixi, noticia ante conversionem operetur in homine convertendo, ut is veros Christi doctores libenter audiat.

Quibus præsuppositis, operatur conversionem Deus, causa illius primaria, cui tamen (*c*) voluntas humana sese ad voluntatem Dei accommodans necessario conjungitur, utpote in cujus potestate est verbum divinum acceptare vel reiicere.

(*a*) Socinus comm. in 1. Epist. Joh. p. 307. sq. Item 308. (*b*) Socinus comm. in 1. Joh. p. 307. 308. (*c*) Smalc. cont. D. Frantz, disp. 12. pag. 419. 420. 421. 425.

ERROR I.

15.

Omnia sensibus est expositum, quòd non omnes homines ad fidem convertantur; cuius rei causa, cum in subiecto conversionis seu homine convertendo hæreat, sciendum, duo præcipua esse illius requisita: unum, quòd in homine convertendo prærequiratur Dei notitia, quamvis imperfectior, illa nimirum, quæ est animi probitas, & studium ea faciendi quæ Deo probantur.

Socinus multa hac de re differit Comm. in 1. Epist. Johannis pag. 307. seqq. excerpemus è pro lixa commentatione quædam pauca hunc sensum thesauri reddentia pag 307. Notandum est, videri aliquam notitiam Dei in eo requiri, qui sit Christi Apostolis, alijsq; ejus doctrinæ magistris fidem habiturus, antequam hoc ab ipso fiat. Pag. 308. Causam exponit, Johannes (in verbis, qui novit Deum, audit nos,) cur ij, qui veros Christi doctores libenter audiebant, id facerent: eaq; ex ipsius verbis alia nulla est, quam Dei cognitio; quam necesse fuit, antecessisse, tanquam causam suo effectui, rei isti, quod libenter Christi veros doctores audirent. Item: Cum igitur ex Deo esse, in ista Christi sententia, & consequenter in ipsa, quam præ manibus habemus, Apostoli sententia, aliud nihil sit, quam esse probum & cupidum ea faciendi, quæ Deo placent; hinc concludendum est per ea, quæ modo dicebamus, Dei cognitionem, de qua hic Apostolus loquitur, istud idem esse. Et sanè nemo potest esse cupidus ea faciendi, quæ Deo placeant, sed neque etiam ullo alio pacto probitatis studiosus, quin aliquam Dei cognitionem habeat; quandoquidem is, qui animi probi est, & id quod rectum est, amanti,
posito

posito etiam, quod nullam certam notitiam habeat, quod Deus sit, id est, quidam summus omnium rerum moderator & arbiter: tamen potest iste suo modo dici Deum cognoscere, quatenus ea approbat, quæ Deo placent, & sic ipsum Deum, quamvis ignorans, approbat. Satis enim apparet, & ex his, quæ de Dei cognitione antea disputavimus, intelligi potest, cognitione DEI in sacris literis potissimum significari approbationem earum rerum, quæ rectæ sunt atq; honestæ, & sic cum Dei voluntate consentiunt. Item pag. 309. Hæc Dei cognitio aliud nihil est, quam animi probitas, & studium ea faciendi, quæ Deo probantur.

EXAMEN.

In conversione hominis duo principaliter consideranda sunt; **1. Homo convertendus**, qui est quasi causa materialis, & subjectum actioni substratum, in quod efficiens operatur **2. Efficiens**, quæ in hominem, tanquam subjectum, agendo, eundem convertit. Quantum ad *subjectum patiens*, minimè inficiamur, posse unumquemvis non-conversum sponte sua peragere exteriora, suo modo ad conversionem requisita, aut verius prærequisita; nimirum, accedere verbi prædicationem, & facultate naturali auscultare, sensum quoque prædicati verbi mente cognoscere, ac memoriâ tenere. At, interiora, quæ sunt assensus verbo prædicato adhibendus, cordium commotio, ut quæ prius erant à Deo aversa, ad ipsum convertantur, & qui serviebant peccato, jam servire incipiant justitiæ, in nullius hominis facultate sita sunt. Cum itaq; aliud sit, de homine convertendo quærere, an, aut quid ipse in conversione agat? aliud, quæ sint illius requisita, quatenus ceu patiens subjectum conversioni subternitur; quæ sito priore ad efficientis considerationem reservato, nunc hominem, quatenus is materialis & passiva causa est conversionis, considerabimus: ubi duo deprehendimus convertendi hominis requisita à Photinianis assignata; unum *Deum nosse*; alterum, *veros doctores libenter audire*. Prius duo agit; **1. Notitiam Dei**, ceu rem necessariam subternit conversioni, adeò ut

SI

nemo

16.

nemo convertatur, nisi prius verbum audiat, & Deum cognorit; hoc est, habeat animi probitatem, & studium ea faciendi, quæ Deo probantur. Notitiæ huic adeò arctè connectit conversionem, ut hanc necessariò subsequi oporteat, ubi is, qui Deum novit, verbum audierit. Imus in negativam utrinque, & quantum ad membrum prius, hæ sunt negationis rationes.

17.

I. Quia affirmatio Photiniana non probatur. Nolumus denuò exaggerare, quàm turpe sit in Theologorum scholis dogmata figere citra scripturam præviam; planè facimus nihili thesin scripturis non confirmatam. Testimonium quod producit Socinus è *cap. 4. v. 6. primæ Epist. Johannis*: qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos; minimè confirmat thema adversarium: Nam loquitur Johannes de Christianis jam conversis, asserens, quòd qui Deum novit ex prædicatione Evangelii, is quoque audiat Apostolorum prædicationem, & scripturam: Quod si obtinuerimus, jam patebit, cum quæstio sit de non-conversis, medium verò de conversis loquatur, illud ad decisionem prorsus esse ineptum.

18.

Id verò docemus I. *Ab objecto*, seu hominibus ad quos scribit: Noverant illi Deum ex prædicato verbo; nihil ergò facit locus iste ad evincendum Photinianum thema, cui res est de iis, quibus verbum Domini nondum auditum fuit 2. *Ab usu ejusdem vocis, NOSSE*; quotiescunque meminit Johannes *notitiæ Dei*, nunquam de naturali loquitur, quæ gentilium est, & à Paulo notatur *Rom. 1. v. 21. cum nossent Deum*, &c. sed de revelatâ, ut omnia loca inspecta testantur *cap. 2. v. 4. & v. 20, 21. cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 13, 16*. Sic enim *concludimus*: Si verbum *nosse Deum*, Johannes per totam epistolam suam aliquoties usurpatum nullibi accommodat ad notitiam Dei, qua gentes naturaliter seiverunt esse Deum, &c. semper autem ad revelatam, sequitur, ipsum eandem vocem *cap. 4. v. 6.* intelligere de notitia revelata, quæ est Christianorum, non de naturali, quæ est gentium, præsertim, quia non potest quæcunque etiam ratio dari mutati significatus. Prius verum est, ut planum facient loca inspecta. Ergò verum etiam posterius. 3. *A descriptione ejus, qui taliter novit Deum;*

Deum; quam reddunt hæc pronunciata. 1. *Quicumq; dicit, se nosse Deum, præcepta ejus servat c. 2. v. 4.* Subsume: mundus non servat præcepta Dei, sed soli Christiani. Ergò Deum norunt soli Christiani, non autem mundus. 2. *Qui novit Deum, habet unctiorem, h. e. Spiritum Sanctum, cap. 2. v. 20. Vos unctiorem habetis à sancto, & nostis omnia: non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi sciētibus eam. v. 27. Unctio, quam accepistis, manet in vobis.* Argumentum tale esto: Quicumq; vero principio notitiæ illius, quam Johannes per hanc epistolam urget, destituitur, is neque hanc notitiam habere, & consequenter, nec Deum nosse dicendus est. Gentes destituuntur naturaliter principio illius notitiæ, unctiōne scilicet. Ergò Gentes hanc notitiam, quam Johannes urget, non habere, & consequenter nec Deū nosse, dicendi sunt. 3. *is demum, qui ex Deo natus est, cognoscit Deum:* asseritur hoc 1. *Job. 4. v. 7.* verbis proximè subjunctis textui à Socino producto, quæ sic habet: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deū.* Argumentamur: Qui Deum cognoscit eundem diligit, & ex Deo natus est. Homines non conversi, nec Deum diligunt, nec sunt ex Deo nati. Ergò homines non conversi Deū non cognoscūt. 4. *A clarissima interpretatione ipsius Johannis, quam reddimus geminam. Unam, quòd cūm dixerit loco producto: eos solos, qui norunt Deum, audire verbū; subsumendo quasi negat, mundum novisse Deum c. 3. v. 1.* verba Apostoli clara sunt, & hanc nobis reddunt collectionem: Quicumq; Deum non novit, de illo Johannes hæc sua verba (*Qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, nō audit nos*) non enunciavit. Mundus Deū non novit. Ergò Johannes verba illa sua de mūdo nō enunciavit. Altera interpretatio hæc est: cū dixisset Johannes, *qui novit Deū, audit nos*, protinus subjūgit: *Qui non EST EX DEO, non audit nos:* monstrās sibi æquipollere, nosse Deū, & esse ex Deo; qualiter hanc eandē sententiā exposuit in Evangelio *c. 8. v. 47. qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos nō auditis, quia ex Deo non estis.* His ergò auditū tribuit, qui sunt ex Deo: Jā considera hunc terminū, *esse ex Deo.* 1. Annō Deū dicat autorē & patrē ejus, qui ex Deo est? 2. & an unquā de nō-re-natis usurpetur? Argumentamur ita: Qui Deū novit, is ex Deo est.

Sf 2

Mundus,

Mundus, aut impii, non sunt ex Deo. Ergò mundus, aut impii, Deum non norunt. 5. *A perpetuo usu phraseos, esse ex Deo.* Infert ea, Deum autorem, doctorem, patrem; quoties enim dicitur quis *ex Deo esse*, subintelligitur, *natus, ortus*, aut quid simile: *Act. 5. v. 39. Si ex Deo est consilium hoc, aut opus, non poteritis dissolvere. 2. Cor. 3. v. 5. Sufficiencia nostra ex Deo est. cap. 5. v. 18. omnia ex Deo.* In primis verò in scriptis Johannis frequens est phraseos usus, & quidem iste: *Johannis. 1. v. 13. potestatem dedit filios Dei fieri his, qui ex Deo nati sunt. cap. 3. v. 6. quod natum est ex spiritu, Spiritus est. cap. 3. v. 9. Qui natus est ex Deo, non facit peccatum;* item: *non potest peccare, quoniam ex Deo natus est cap. 4. v. 2. Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. v. 3. Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est v. 4. vos ex Deo estis, filioli. v. 6. Nos ex Deo sumus v. 7. caritas ex Deo est: & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.* Argumentamur: quisquis Deum agnoscit, vel ex Deo est, is Deum habet vel patrem, autorem, aut doctorem (puta in speciali significato, & sensu spirituali.) Homines non conversi Deum non habent patrem *Joh. 8. v. 42.* nec autorem aut doctorem. Ergò homines non-conversi non sunt ex Deo, nec Deum agnoscunt.

1.9

II. Quia naturæ non conversæ hæc est conditio, ut nec proba sit, nec studium faciendi ea, quæ Deo probantur, habeat. Non opus est prolixâ diductione; patefaciunt superiora, ecquid sentiendum sit de naturâ hominis bonum averfante, & quævis pessima summo cum studio sectante; è quibus hanc *ἀπόδειξις* formamus: Cujus hominis mens, omnesque facultates sic sunt comparatæ, ut omne bonum odio habeant, & à Deo vel maximè sint averfæ; econtrâ malum ament, prosequantur, & naturaliter proclives sint ad perficiendum Deo displicentia; is aut nunquam potest converti, aut animi probitas & studium ea faciendi, quæ Deo probantur, non requiritur necessariò ante cujusque hominis conversionem. Sed omnes homines per conditionem naturalem sunt tales, deteriores

riores verò per pravam educationem, & exempla illorum, cum quibus conversantur. Ergò, aut nullus homo potest converti, aut animi probitas & studium ea faciendi, quæ Deo probantur, non requiritur necessariò ante ullius hominis conversionem. Prius absurdum est. Ergò verum posterius. Minorem è superior traditis breviter sic probamus. 1. Omne studium hominis tantùm malum est *Gen. 6. v. 5. Cuncta imaginatio cogitationum cordis tantùm mala est omni die. Roman. 7. v. 14. Homo carnalis est, venundatus sub peccatum.* 2. Naturale hominis studium voluntati divinæ repugnat. *Roman. 7. v. 23. Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ Gal. 5. v. 17. caro concupiscit adversus Spiritum, ut non, quæ vultis, etiam faciatis. Rom. 8. v. 7. Sapiencia carnis inimicitia est in Deum: Legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest.* 3. Naturale studium hominis, & voluntas Dei, sibi invicem sunt stultitia *1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia est illi, & non potest intelligere. 1. cap. 1 v. 27. Quæ stulta sunt elegit Deus, ut confundat sapientes v. 20. Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi cap. 3. v. 19. Sapiencia hujus mundi stultitia est apud Deum.* 4. Nullum dari potest exemplum hominis non-conversi, probi tamen, & seriò cupidi faciendi ea quæ Deo placent. *Argumentamur inde: Cujuscunq; hominis omne studium 1. tantùm malum est. 2. divinæ voluntati repugnat. 3. eamq; pro stultitia habet. 4. & diversum compertum non est, is per naturalem conditionem à Deo averfus, bonum averfatur; econtrà malum amat, prosequitur, & naturaliter proclivis est ad perficiendum Deo displicentia.* Omnis homo talis est. Ergò omnis homo per naturalem conditionem à Deo averfus bonum averfatur; econtrà malum amat, prosequitur &c. Nolumus quicquam addere de scandalo mundi, cujus illecebræ faciunt, ut homo amet mundum, ideoque non admittat dilectionem patris. *1. Job. 2. v. 15. Similiter de Diabolo, qui mentes infidelium excœcat ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi. 2. Cor. 4. v. 4.*

Sf 3

III. Quia

20.

III. Quia naturalis ista probitas, & studium faciendi Deo placentia, non est in cujusquam hominis facultate. Dum consideramus hominem nondum conversum, abstrahimus omnem Spiritualem Dei operationem, & intelligimus hominem, *sibi relictum, qualis est priusquam Deus in ipsum fuerit operatus quicquam*, quod ad conversionem ipsius faciat. Atque sic omnino dicendum est, non consistere in cujusquam hominis facultate, ut studium habeat obtemperandi Deo. Nam certè hoc ipsum studium esset voluntas quædam, & appetitus boni; sed modò productum est Jehovah effatum, quòd omnis cogitatio humani cordis tantùm mala sit: cui tota scriptura concordat 2. Cor. 3. v. 5. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. sed sufficientia nostra ex Deo est. Philip. 2. v. 13. Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Job. 15. v. 5. sine me (ait Christus) nihil potestis facere.* Itaque *argumentamur*: Quicquid prærequiritur in homine convertendo, tanquam necessaria conditio, omnem actionem Dei præcedens, id à naturali facultate proficiscitur; tertium enim agens inter Deum & hominem hic non invenies. Probitas, & studium faciendi Deo placentia, non proficiscitur à facultate naturali. Ergò probitas & studium faciendi Deo placentia, non prærequiritur in homine convertendo, tanquam necessaria conditio omnem actionem Dei præcedens. Minor est manifesta, vel hoc *argumento*; Qui 1. non est ex se idoneus cogitare aliquid boni. 2. omnem sufficientiam accipit à Deo. 3. & ab illo habet non tantum *ut* perficere, sed etiam *ut* velle. 4. Et nihil sine Christo facere potest, is omninò à naturali facultate non habet vel probitatem, vel cogitationem, multò minus studium & appetitum, faciendi ea, quæ placent Domino. Talem esse hominem, antequam divina gratia in ipsum operari incipit, luculenter pronunciat Spiritus Sanctus, locis productis. Ergò homo antequam Deus in ipsum operari incipiat, à facultate naturali non habet probitatem, & studium præstandi Deo placentia.

IV. Quia exempla multorum testantur, quod antequam

tequam converterentur, destituti fuerint probitate, & studio faciendi Deo placentia. Instituímus autem hujusmodi *demonstrationem*: Si aliqui conversi sunt, de quibus vel omninò certum, vel ad minimum vero planè simile est, ipsos ante conversionem nihil habuisse probitatis, aut studii, quo facere gauderent Deo placentia; sequitur, istam probitatem cum pietatis studio conjunctã non requiri necessariò antè conversionẽ; nam quod necessarium est, perpetuum est, & quod perpetuum non est, hoc colligitur esse contingens. Prius est verum, Ergò verum quoque posterius. Minorem confirmant non pauca exempla hominum conversorum, quæ ad duas classes referuntur; dum quidam *extraordinariè*, quidam *ordinariè* conversi sunt, seu per media divinitus huc destinata conversi memorantur: In utraq;e reperiuntur ejusmodi homines, quibus fas non est istud probitatis, & obsequij studium tribuere. *Extraordinariè* conversi sunt 1. *Latro* cum Salvatore crucifixus, cujus conversionem refert *Lucas 23. v. 42.* quem non facilè probabit quisquam isto studio flagrasse, vita autem antea acta contrarium jubet præsumere; imò si hoc studium ipsum allicuisset ad pietatem, certè, cum non posset ipse obscurus esse Jesus Nazarenus, ab eo non minus erudiri petiisset, atque Nicodemus *Joh. 3. vers. 1.* Secutus fuisset eum, ut verbum audiret, exemplo complurium aliorum *Joh. 6. v. 5. Luc. 8. v. 4. & c.* Quod quia non memoratur usquam, & contrarium elucet ex ipsius latrociniis, certè, nec probitatem, nec pietatis studium in eo fuisse, apertè colligitur. 2. *Centurio* cruci adstans, & complures alii, qui cù viderent solis obscurationẽ, terræ motus, petrarũ rupturas, timètes valdè dixerunt: *verè filius Dei erit iste Matth. 27. v. 34.* Centurio gentilis erat sub jurisdictione Pilati, cæteri sine dubio, milites qui illius imperio parebant, forsitan etiam quidam Judæi. Quid horum fuerit studium, priusquam Deus stupenda illa naturæ commotione corda illorum pungeret, ex ipso facto crucifixionis Domini liquidò cernitur: sanè, nullum studium parendi Deo apparet usquam 3. *Custos carceris*, factò terræ motu & aperto carcere, cernens divinam providentiam circa Paulum,

& Si-

& Silam cecidit ante pedes eorum, petens informari, erudiri in salutari doctrina: *Act. 16. v. 29. 30.* 4. *Centurio Capernaiticus*, cui tanta fuit fides, quantam Dominus non invenerat in Israel *Matth. 8. v. 10.* 5. *Saulus* non tantum probitate, & studio obsequendi Deo carebat, sed etiam anhelato Spiritu in Christianos furens, convertebatur. *Act. 9. v. 1. Seq.*

Altera classis scopum ferit propius, siquidem de *ordinaria* conversionis via res est: ubi hæc exempla videantur 1. *Judei* conversi sermone Petri die Pentecostes, *Act. 2. v. 37.* sq. cum enim illi Dominum Jesum crucifixissent *vers. 23.* nec ducerentur ullo dolore, aut poenitentia, nec quicquam minus agerent, quam Deo studerent obedire, cui prius multum erant reluctati, punguntur eorum corda *v. 37.* & præter omnem cogitationem ac voluntatem convertuntur. 2. *Judei* conversi viso miraculo sanati claudi, & auditâ concione Petri *Act. 3. v. 11. cap. 4. v. 11.* Qui minus etiam attentum erant in obsequium præstandum Deo, siquidem non movebantur miraculis Christi, non iis, quæ passionem & mortem illius fecerant illustriorem, non illo, quod in Apostolis linguarum dono exornatis contigerat; non sermone Petrino, nec denique multitudinis Christianam fidem amplectentis exemplo; de his enim Petrus ait, *vos sanctum, & justum negastis, & petiistis virum homicidam donari vobis Act. 3. v. 14.* nihilominus hi ipsi convertuntur, sine proposito obsequii Deo præstandi. *Argumentamur:* Quicquid conversionem hominis necessario antecedit, hoc conversionem semper antecessit, nec datur exemplum, in quo diversum fuerit factum. Sed studium obediendi Deo non semper antecessit conversionem, contrarium docentibus exemplis non paucis, tam ordinariè, quam extra ordinem conversorum. Ergo studium obediendi Deo non antecedit conversionem necessario.

22.

V. Quia similia, per quæ declaratur conversionis ratio, ejusmodi studium non admittunt. Scimus equidem, symbolicam Theologiam non esse argumentativam, & locum

& locum similia ad declarationem potius facere, quam probationem; nec tamen ignoramus, Symbolicam Theologiam similia, & parabolis resolubiles esse in sensum planum ac simplicem, & hactenus omnino ex parabolis, certe non frustra præscriptis, sensum planum ac certum erui. Videamus nunc, quid nobis proponant similia, quibus conversionis negotium Spiritus Sanctus in verbo suo declaratum voluit; suntq; ista 1. *Piscationis*, quo Salvator utitur *Matth. 4. v. 19.* Venite post me, & faciã vos fieri pisces hominum. 2. *Captivationis*. 2. *Cor. 10. v. 5.* In captivitatem redigimus omnem scientiam sub obsequiũ Christi. 3. *Tractionis*. *Joh. 6. v. 44.* Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. *Colligitur* hinc, sic hominem converti, quemadmodum piscis ex aqua trahitur, & indomitus equus, aut mulus chamo, & freno cõercetur, & in captivitatem trahitur, quæ sanè omnia non fiunt præcedente studio eò perveniendi, quo vel pisces, vel equi, ac muli, imò & homines pertrahuntur, in omnibus namq; repugnantia magis est, quàm obsequium, aut obsequendi studium. *Argumentamur* itaque. Quisquis trahitur, uti trahuntur pisces è flumine, & captivatur, atque ducitur captivus, quemadmodum equi, & muli, is non ardet studio eò perveniendi, quo isto ductu & tractatione pervenit, sed magis ductui reluctatur. Omnes convertendi sic trahuntur, & captivi ducuntur. Ergò Nulli convertendi ardent studio eò perveniendi, quò isto ductu & tractu perveniunt, quod est vera Dei agnitio, & nova obedientia, seu pietatis studium.

ERROR II.

Alterum, quòd ea, quam dixi, notitia ante conversionem, in homine convertendo, excitet affectum, Christi veros doctores libenter audiendi.

Socinus in quartum caput. 1. *Joh.* pag. 307. 308. *Tota antiq̃*
is (qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo non audit.

Te

100

nos v. 6.) *planè suadet, Apostolum considerare eos, qui ipsum & alios Christianæ doctrinæ doctores, libenter audiebant, quales essent, non post, sed antè quàm doctrinam istam libenter susciperent. Nam quemadmodum causam exponit, cur ij, qui falsos prophetas libenter audiebant, istud facerent: sic ex altera parte similiter causam exponit, cur ij, qui veros Christi doctores libenter audiebant, id facerent. Eaque ex ipsius verbis alia nulla est, quàm Dei cognitio; quam necesse fuit antecessisse, tanquam causam suo effectui, rei isti, quòd libenter Christi veros doctores audirent.*

EXAMEN.

24.

Audire in sacris literis modò externum aurium officium, modò acceptationem cordis, modò executionem operis, significat. Sic libenter audire, dicitur ambiguè; Est enim 1. aurium & provenit à donorum externorum suavitate, qualiter Herodes libenter audiebat Johannem Baptistam Marc. 6. v. 20. nec tamen, nisi rarò, verbis, ac monitis salutaribus obtemperabat: Et Pharisæi ceterique Judæi observatores Domini, magno studio audiebant eum, si quid in eo deprehenderent morte dignum, nec tamen veritati agnitæ locum dabant; 2. Cordis, & oritur ex amore doctrinæ, quo sensu Jesum libenter audiebat popellus Judaicus Marc. 12. v. 37. & ij qui comparantur semini in petrosa jacto, & verbum Dei cum gaudio suscipiunt, radices tamen non habentes persecutionis tempore exarescunt. Luc. 8. v. 13. 3. Operis, & nascitur ex vera pietate, qua verbo audito putatur simplici corde obediendum esse; hoc modo libenter audiunt, qui non tantùm sunt verbi auditores, sed etiam factores Rom. 2. v. 13. Cœteri similes sunt viro faciem in speculo contemplanti, rursus tamen formam ejus obliviscenti, nec observatam maculam delenti Iac. 1. v. 22. seq. Nullum studium necessariò requiritur ante conversionem, ut libenter audiantur veri doctores, vel aure, vel corde, vel opere: quamvis enim non-conversis hoc demus, posse illos externo aurium auditu libenter audire veros doctores; id tamen non est necessarium conversionis præsuppositum. Quod hinc probamus.

25.

I. Quia nulla scriptura hoc postulat. Quod enim allegata

legata *Johannis verba* (qui novit Deum audit nos &c.) huc adducuntur, frustra fit, jam enim ad eum locum respondimus, ac etiam nunc dicimus, *ad audire* esse etiam converforum, qui pro meliore informatione, & confirmatione verbum omnino audiunt; Nec apparet vis consequentiae, qui novit Deum, audit Apostolos. Ergo omnis convertendus libenter audit Apostolos; Ut nec hujus: Qui non est ex Deo, non audit nos, Ergo omnis convertendus libenter audit nos. *Auditum* credimus necessarium, tanquam ordinarium medium conversionis, sed *auditus desiderium*, & *suavitatem* necessario praequiri, nusquam legimus.

II. Quia aliqui fuerunt per verbum conversi, qui tamen nullum peculiare studium eò contulerunt. Necessitas infringitur unico exemplo contrario: Quicquid enim in ordinaria conversione necessarium est, hoc quoque est perpetuum: & quod semel non est necessarium, id nunquam necessarium esse putatur. Jam verò leguntur ad Dominum conversi, qui nullum peculiare studium ad verbi auditum contulerunt; *Act. 2. v. 37. seq.* convertuntur aliquot millia hominum, qui tamè variâ intentione illic comparuerunt, quibusdam cum stupore dicentibus, *quidnam vult hoc esse? v. 12.* Aliis ridentibus Apostolos, & crimen ebrietatis illis intendentibus *v. 13.* Et quamvis non inficiemur, aliquos eorum fuisse cupidos audiendi, non sanè verbum Dei, sed *verbum*, quodcunque etiam professi fuerint Apostoli, tantum ut explorarent rem illam novam, quam contigisse audierant, & quodammodo viderant, audiisse quoq; Apostolos, ut quid novi narraturos, de nullo tamen legitur, quòd eos *ut veros doctores à Christo constitutos*, libenter audierit. Athenienses Paulum Apostolum prædicatorem audiebant, sed partim, ut ei illuderent, partim ut nova captarent, sic n. de illis Lucas refert *Act. 17. v. 18. seq.* *quidam Philosophi disseriebant cum eo: & quidam dicebant, quid vult hic seminator verborum dicere? alij vero: novorum demoniorum videtur annunciator esse, qui Jesum, & resurrectionem annunciabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes, possumus scire, quæ est hæc nova,*

Et

qua

26.

qua à te dicitur doctrina? nova enim quadam inferis auribus nostris: volumus ergò scire, quidnam velint hæc esse. Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi: horum verò petitis satisfaciens Paulus, denuò sic excipiebatur, adeò, ut duo essent genera auditorum, quibusdam Apostolo illudentibus, alijs judicia suspendentibus v. 32. Cum audissent autè resurrectionem mortuorum, quidam quidè irridebant, quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum? nihilominus ex his duabus classibus auditorum adhæserunt nonnulli Paulo, referente v. 34. Quidam verò viri adherentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier, nomine Damaris, & alij cum eis. Hinc argumentamur: Sine quo aliqui hominum leguntur conversi, illud conversionem non præcedit necessariò. Sine studio audiendi veros doctores à Christo constitutos quidam sunt conversi. Ergò, studium veros doctores audiendi conversionem non præcedit necessariò.

27.

III. Quia aliqui contra suam voluntatem fuerunt conversi. Si terminus, *conversi* displicet, dicamus, *convicti*, ut nò possent in conscientia verbo contradicere, licet verbis & factis sensa cordis negarent, & verbum persequerentur: quales erant Pharisei, horumq; complices *Matt. 22. v. 22. Joh. 3. v. 1. c. 12. v. 42.* Et rex Agrippa *Act. 26. v. 28.* Argumentum enim tale hæc exempla subministrant: sicut initium conversionis operatus est Spiritus Sanctus per verbum suum in reluctantes, ut licet intentione obtemperandi Deo non audirent, attamen contra voluntatem corda convincerentur, sic quoque convertuntur non-repugnantes, ut præter voluntatem convertantur, verbum audientes, absque illius præcedente amore & desiderio. Consequentia ratio est firma, quia eadem est utrinq; operatio Spiritus Sancti, subjectum etiam, si repugnandi studium excipias, utrinque idem est.

28.

IV. Quia non est situm in potestate hominis, ut libenter audiat veros Christi doctores. Quicquid antè conversionem requiritur, & quidem ex parte hominis convertendi, hoc aut in illius potestate necessariò situm est, aut ex operatione divina profluit. Duo enim sunt in conversione

sione, agens & patiens; ad quæ referri oportet omnia conversionē antecedentia; cumquē studiū veros Christi doctores libenter audiendi ex parte hominis requiri, putent adversarii, utiq; illud aut divinæ operationi attribuent, (sed hanc præcedere creditur ab Adversariis illud studium) Ergò erit operatio hominis. Jam ergò sic *argumentamur*: Quicquid requiritur in homine convertendo, priusquam incipiat Dei operatio, hoc non oritur ex virtute divina, sed humana. Ut quis non-conversus libenter audiat veros Christi doctores, requiritur à Photinianis, priusquam incipiat Dei operatio. Ergò ut quis non conversus libenter audiat veros Christi doctores, non oritur ex virtute divinâ, sed humana. Est autem & hæc conclusio falsa; quia appetitus, & desiderium potius est *passio* hominis, quam *actio*, nec potest ipse, quando visum fuerit, rem amare, aut desiderare, odisse ac fugere, ideoq; non est hoc in hominis arbitrio, ac voluntate situm, sed pendet ex comparatione hominis ad rem amandam, vel fugiendam; prout is rei apparente bonitate, aut malitiâ provocatur ad ejus amorem, vel odium: Proindè *argumentando* pergitur: Quicquid in homine convertendo nec operatur divina virtus, nequē operari potest vis humana, hoc ante conversionem nulla necessitate requiritur. Ut quis veros Ecclesiæ doctores libentè audiat, id in homine convertendo, nec operatur divina virtus, nec operari potest vis humana. Ergò, ut quis veros Ecclesiæ doctores libenter audiat, nulla necessitate ante conversionem requiritur.

IV. Quia istud studium libenter audiendi veros doctores, aut est perversum aut præposterum: quatenus oritur ex affectu vel in personam prædicantem aut verbum prædicatum. Si ex *affectu in personam*, cujus dona admiraris & magnificis, perversum est studium, quia non propter præcones debet amari verbum, sed præcones propter verbum: ideò elegit Deus infirma, stulta, & ignobilia organa, 1. Cor. 1. v. 27. Quod non tantum in Prophetis, 1. Reg. 19. v. 19. Amos 7. v. 14. sed Aposto-

29.

T t 3

lis

lis quoque *Matth. 4. v. 18. 21. cap. 9. v. 9. 1. Corint. 4. v. 9. &c.* conspicuum est, ut Paulus etiam sic de re illa disserat: *Habemus thesaurum illum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. v. 7.* Si ex amore verbi prædicati, præposterum est; ipsum enim verbum, (quod homini animali ante conversionem est stultitia. *1. ad Cor. 2. v. 14.* Et inimicitia *Rom. 8. v. 7.*) debet in illo operari studium Deo obsequendi atque amorem verbi: quare, si effectus præcedere suam causam præposterè dicitur, etiam præposterum erit, ponere amorem in verbum prædicatum, antequam illud auditum fuerit. Si autem dicatur aliquis auditus præcessisse, quem sequatur studium, ulterius audiendi sinceros doctores, *respondetur*, jam hominem non amplius esse purè naturalem, sed quodammodo vi verbi convictum, aut conversionem jam tum cœpisse. Hinc *argumentamur*: Quicquid necessariò requiritur antè conversionem hominis, id sincerum est Deoque probatum, non verò in Theologia perversum, aut præposterum. Studium à Photinianis requisitum non est sincerum Deoque probatum, sed in Theologiâ, aut perversum aut præposterum. Ergò studium illud antè conversionem hominis necessariò non requiritur.

Agendum nunc quoque esset de causis conversionis, quas efficientes primarias Photiniani statuunt, non solum Deum, sed etiam hominis convertendi voluntatem; sed, quia hanc controversiam *Sect. 2. c. 4. error. 6.* jam discussimus, actum non agimus, sed eò lectorem remissum volumus.

CAPUT

CAPUT III.

De
REGENERATIONE.

Thesis Orthodoxa.

Cum, dicente Salvatore nostro, (a) nemo regnum Dei possit ingredi, nisi ex aqua & Spiritu renatus, quisque promptè intelligit, regenerationem omnibus iis, qui ad æternam salutem adspirant, (b) summè esse necessariam.

Regenerationis autem nomine intelligimus eam (c) cordis, omniumq; sensuum & (d) facultatum naturalium innovationem, per quam postea homo (e) vitæ novitatem, ac (f) puritatem instituit, & (g) abjectâ peccati servitute, justitiæ servit.

Cujus regenerationis *subjectum patiens* sunt homines, nec tantùm adulti, sed quoq; (b) infantes, qui & ipsi (i) participes sunt regni cœlorum, ideoq; (k) filii, & hæredes Dei.

Dum autem dicimus *subjectum patiens*, significamus, sufficere ex parte hominis renascentis, ut agentibus causis (l) non reluctetur pertinaciter, quamvis actionem regenerationi essentialem non operetur.

Causas enim agentes dicimus primarias, & organicas. *Primaria* causa est solus, & unicus (m) Deus, cujus proprium opus est, (n) novos homines creare, (o) nova corda, novosq; Spiritus dare.

Absit

6. Absit ergò, ut huic adjungamus voluntatem hominis regenerandi, quæ nihil magis, quod quidem huc faciat, operari valet, quàm homo (*p*) generandus ad sui productionem & (*q*) resurgens ad sui ipsius è morte resurrectionem.

7. *Organica* causæ sunt duæ. 1. (*r*) Verbum, regenerans eos, qui illud audiunt, & faciunt, 2. (*s*) Baptismus, qui est aqua regenerans, & regenerationis lavacrum.

8. Ut autem vita, & salus æterna est *universale* Dei beneficium, sic & regeneratio; qua de causâ non potest quisquam ordini divinitus præscripto non repugnans, ex numero vel salvandorum, vel regenerandorum excludi; ut hîc non possimus discrimen facere, sive ætatis sive temporis. Si enim (*t*) homines ante Christi mortem extiterunt Dei filii, & (*u*) salvati fuerunt, quomodo non etiam fuissent renati? quod idem de infantibus intellectum volumus, ut suprà fuit monitum.

(*a*) Johan. 3. v. 5. (*b*) 1. Cor. 15. v. 50. (*c*) Psalm. 51. v. 11. 1. Cor. 5. v. 7. Ephes. 4. v. 24. (*d*) Rom. 6. v. 6. (*e*) Rom. 6. v. 4. (*f*) 1. Thess. 4. v. 3. (*g*) Rom. 6. v. 12, sq. (*h*) Johan. 3. v. 5. (*i*) Matth. 19. v. 14. (*k*) Rom. 8. v. 15. (*l*) Act. 7. v. 51. (*m*) 1. Pet. 1. v. 3. (*n*) 2. Cor. 5. v. 17. (*o*) Ezech. 36. v. 26. Psalm. 51. v. 11. (*p*) Job. 10. v. 8, sq. Psal. 139. v. 14, 15. (*q*) Matth. 19. v. 28. (*r*) 1. Pet. 1. v. 23. (*s*) Johan. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. (*t*) Joh. 1. v. 12, 13. (*u*) Luc. 16. v. 22.

Thesis Photiniana.

9. **I**n regeneratione seu spiritali hominis generatione quatuor sunt consideranda 1. Definitio, 2. Causa efficiens, 3. Subjectum sive causa materialis, 4. Tempus. Quoad definitionem, (*a*) regeneratio est essentialiter nihil aliud, quàm vitæ mutatio, & secundum doctrinam Jesu Christi reformatio.

Efficiens

Efficiens causa est vel primaria, vel organica. Prima-
ria gemina est, una Deus per Evangelium filios generans,
altera, (b) homo, ad Deum se convertens, & veteri conver-
satione abjecta novum vivendi genus sectans. 10.

Neque tamen (c) Spiritus sanctus regenerationem causa-
tur, utpote, qui non datur, nisi jam tum regenitis, ideo rege-
neratum sequitur, non regenerandum antecedit. 11.

Causa organica, seu medium regenerationis est ver-
bum, non autem (d) baptismus, cui tantum effectum tribue-
re, idololatricum est. 12.

Subiectum, sive materia regenerationis est homo, (e)
solus tamen adultus, nequaquam vero infantes, siquidem
regeneratio presupponit non tantum naturalem generatio-
nem, sed etiam vitam, & actionum correctionem. 13.

Denique hoc Dei beneficium, quo homines regenerat, non
fuit perfectum, (f) antequam Christus mortuus & resu-
scitatus, glorificaretur, namque Deus per Christi resurrectio-
nem nos regeneravit in spem vivam, ideo nec Apostoli ante
Christi mortem fuerunt perfecti filii Dei. 14.

(a) Moscorov. lib. de bapt. c. 7. pag. 121. Smalc. lib. de nat. Dei filio t. 7. p. 17. Idem disp.
12. cont. D. Frantz. p. 449. (b) Smalc. Nov. Monst. c. 20. p. 166. (c) Smalc. Nov.
Monst. c. 20. p. 166. (d) Smalc. disp. 10. cont. D. Frantz. p. 324. disp. post. 8. p. 422.
Theoph. Nicolaid. tractat. de Eccl. & miss. c. c. 10. p. 111. Ostorod. Inst. germ.
c. 39. p. 358. (e) Smalc. de nat. Dei fil. c. 4. p. 20. 21. Moscorov. lib. de bapt. c. 7.
pag. 119. 121. 123. Theoph. Nicolaid. tract. de Eccl. & miss. c. 10. pag. 111. Mar-
tin. Czechovicus error. padobapt. 12. pag. 130. 132. 137. (f) Smalc. lib. de nat.
Dei fil. c. 5. pag. 35. 36.

Vu

ERROR

ERROR I.

15.

In Regeneratione, seu spirituali hominis generatione quatuor sunt consideranda, 1. Definitio. 2. Causa efficiens. 3. Subiectum, sive causa materialis. 4. Tempus. Quoad definitionem, regeneratio est essentialiter nihil aliud, quàm vitæ mutatio, & secundum doctrinam Jesu Christi reformatio.

Ita Moscorovius regenerationem definit *lib. de baptismo c. 7. pag. 121. Regeneratio est vitæ antea actæ secundum doctrinam Domini Jesu, reformatio. Cui concordat definitio Smalciana: Regeneratio est integra animi & actionum mutatio. lib. de nat. Dei fil. cap. 2. pag. 17. Hinc renati & non renati definitiones, itidem Smalcianæ disp. 12. contra D. Frantz. pag. 449. Non regeneratus est, qui peccatis implicitus est, hoc est, qui vel unius pluriumve peccatorum habitum habet, vel, sibi peccandi occasione oblata, à peccando non adeò frequenter abstinet: Regeneratus verò nec ullum peccati habitum habet, & sibi peccandi occasione oblata, ut plurimum à peccando abstinet. Qua descriptione equidem nescio, an aliquid rectius & religiosius dici potuerit.*

EXAMEN.

16.

In toto hoc capite, dum ductum sequimur errorum Photinianorum, quatuor veniunt consideranda: 1. Regenerationis definitio, seu formalis ratio. 2. Causa efficiens. 3. Objectum, seu materia operationis, in quam agunt regenerationis causæ. 4. Tempus, per quod donum illud renascentiæ hominibus fuit datum, ac divinitus concessum. Controversia in hoc consistit: Regenerationem censent Photiniani consistere, tam in novitate Spiritus, seu interioris naturæ, & facultatum peccato inquinatarum

corre-

correctione, quàm in novitate vitæ, ita quidem, ut non is dicatur renatus, cui cor novum creavit Deus, & Spiritum in visceribus innovavit, sed is, *qui novam vitam instituit, inculpate vivit, & operum sanctitatem Deo probat*: juxta quam descriptionem is, qui in ultimo vitæ tempore convertitur, non potest esse renatus, quia vita ob intervenientem mortem non reformatur, licet mens esset prompta ad ejusmodi correctionem vitæ, si ipsa fuisset prorogata. Nos verò omninò credimus, consistere regenerationem *essentialiter* in renovatione cordis, quam vitæ correctio & sanctitatis studium ita consequantur, ut cui vita prorogatur, & usus facultatum atque organorum naturalium est concessus, nisi vitam ad doctrinam Christi reformet, non possit dici renatus; ut tamen, si infantes usu naturalium facultatum & organorum destituti, similiter adulti, sed demùm sub mortis tempore cōversi, mentē seu cor novum habeāt, licet vitam ad Christi doctrinā extrinsecus non cōformet, nihilominus regenerati dicātur. Summa, quam vitæ reformationem Photiniani faciunt regenerationi constitutivam, nos arbitramur consecutivam. Estque ratio dissensus: Adversarii putant, hominem nasci à peccatis purum; ideò non indigere renascentiā, nisi prius se polluerit delictis actualibus, unde oporteat de novo nasci, quod nisi per vitæ correctionem fieri nequeat: Nos verò credimus, hominem nasci carnem è parentibus suis, antequam bonum aut malum faciat, ut renascatur per mutationem connatæ peccatricis conditionis, quod fit per conversionem mentis, voluntatis, cœterarumque facultatum, fieri autem nequit per externam operum sanctitatem. Thesin ergò nostram probamus, ac errorem adversarium redarguimus his argumentis.

I. Quia regenerationis tota descriptio non involvit essentialiter correctionem vitæ externam. Duo sunt in regeneratione, unum, *veteris hominis depositio*, qui corrūpitur secundū desideria erroris, *Eph. 4. v. 22.* de qua Apostolus: *Expurgate vetus fermentū, ut sitis nova conspersio. 1. Cor. 5. v. 7.* Mortificate mēbra

Vu 2

vestra,

17.

vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciem &c. Ea verò non est præcisè illa depositio externorum operum; nam, qui forinsecus huic probitati student, cor tamen malè affectum habent, ii non renati, sed hypocritæ appellantur, Luc. 18. v. 11. 12. Matth. 23. v. 5. sq. ipsa autem hæc vetustas est caro adversus spiritum concupiscens, Gal. 5. v. 17. & lex membrorum ad peccata rapiens, Rom. 7. v. 23. vetustatis autem depositio fit intus in mente, quando homo totus peccatum odit, detestatur, deplorat, firmiterque sibi propositum habet, omnibus viribus in posterum hoc agendi, ut carnis voluntas supprimatur, & ne in opera erumpat, prohibeatur. Alterum est novitatis assumptio; quæ propriè est mentis, sic enim orat David; Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis, Psal. 51. v. 12. Sic Dominus ad Israeiem: Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, Ezech. 11. v. 19. Item: dabo eis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, Ezech. 36. v. 26. Ita scribit Apostolus: Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creavit illum, Col. 3. v. 10. Item, renovamini spiritu mentis vestræ, Eph. 4. v. 23. Ex quibus divinis decretis sic Argumentamur: Quicumque veterem hominem, seu legem membrorum ad peccata rapientem deponit, & mente, corde, spiritu renovatur, is regeneratus dicendus est. Sed, illi, qui (abstrahendo, qualis futura sit subsequenti vitæ conditio) tota mente (quippe fide præditi) peccatum in habitans detestantur, & carnis voluntatem supprimendi firmum habent propositum &c. econtrà; Deum salutariter agnoscunt, sincerè diligunt, totoque Spiritu ipsi obsequi parati sunt, ii veterem hominem deponunt. Ergò iidem, quantumvis abstrahatur conditio subsequenti vitæ, regenerati dicendi sunt.

18.

II. Quia regeneratio non anteactæ vitæ, sed naturali generationi opponitur. Opposita, cum se invicem ponant, & tollant, naturam suam mutuò declarant; ut igitur, ex oppo-

opposito regenerationis natura innotescat, observanda est antithesis à Spiritu Sancto annotata, per quam *non opponuntur* formaliter, & immediatè 1. vita peccatrix ante conversionem, acta, & ipse actus regenerationis, ac si regeneratio esset formalis ablatio vitæ peccatricis 2. Vetus homo, & sancta vita; quemadmodum non opponuntur, caro, & opera Spiritus, nec Spiritus & opera carnis, sed caro & Spiritus, item opera carnis, & opera Spiritus. *Opponuntur* verò 1. generatio carnalis & regeneratio spiritualis; Joh. 3. v. 6. Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. 2. homo vetus, & homo novus Ephel. 4. v. 22. seq. Col. 3. v. 10. &c. Exinde *argumentamur*: In eo consistit natura, & forma regenerationis, ratione cujus ea opponitur naturali generationi, & veteri homini; sed regeneratio opponitur generationi naturali, ratione nativæ peccatricis conditionis, quam tollit, & veteri homini lege membrorum ad peccandum provocanti, ratione legis mentis à peccato abstrahentis, & ad sanctitatem allicientis, per quam veterem hominem mortificat: non autem ratione vitæ reformatæ. Ergò natura, & forma regenerationis consistit in ablatione nativæ peccatricis conditionis, & positione interioris spiritualis legis, per quam homo à carnalibus desideriis averfus ad sanctitatis amorem, & studium totus inclinatur, non autem in vitæ peccatricis mutatione in vitam sanctiorem.

III. Quia externa opera referuntur ad regenerationem, ut illius consequens & effectus; sicut vita impia est consequens generationis carnalis, seu peccatricis. *Matt. 7. v. 17.* distinguitur arbor bona & mala à fructibus bonis & malis. Quod si accommodetur ad hominem veterem & novum, est is nihil aliud, quàm arbor, fructus autem sunt opera, sive vita, bona aut mala. *Rom. 8. v. 12, 13.* Distinguit Apostolus inter carnem, & vivere juxta carnem: Item; inter Spiritum, & vivere secundum Spiritum, scribens: *debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Cla-

19.

V u 3

rius

rius etiam hoc facit. *Gal. 5. v. 16, 17. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: Caro enim concupiscit adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem. v. 19. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia &c. v. 22. Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, &c. Col. 3. v. 9. exuite veterem hominem CUM ACTIBUS SUIS. Argumentamur. 1. Quicquid est consequens novi hominis, & fructus Spiritus, id non essentialiter aut formaliter, constituit regenerationem. Sed $\tau\omega$ vivere secundum Spiritum, mortificare facta carnis, item studere caritati, paci, patientiæ &c. sunt consequentia novi hominis & fructus Spiritus. Ergò $\tau\omega$ vivere secundum Spiritum &c. essentialiter & formaliter regenerationem non constituit. 2. Sicut se habet vita peccato serviens ad carnem & veterem hominem, sic quoque se habet vita sancta & juxta doctrinam Christi reformata ad Spiritum, & hominem novum, seu renatum: oppositorum enim par est ratio. Sed vita peccato serviens se habet ad carnem & veterem hominem, ut consequens, quod liquidum est ex allegatis locis. Ergò vita sancta, & juxta Christi doctrinam reformata similiter se habet ut consequens ad Spiritum, & novum, seu renatum hominem.*

20.

IV. Quia aliqui dantur renati, qui tamen externa sanctitatis opera non faciunt. Sunt illi 1. *Infantes*, qui externam sanctitatem præ se non ferunt, quos tamen per baptismum regenerari, jam mox probabimus 2. *Morte preventi*, quorum exemplum præbet latro cum Christo crucifixus, *Luc. 23. v. 40.* quem renatum dicimus, quia paradysum seu vitam æternam ingressus est *v. 43.* non autem ingreditur caro & sanguis *1. Cor. 15. v. 50.* sed soli renati *Job. 3. v. 5.* Argumentamur: Quicquid potest abesse ab homine verè renato, hoc ipsi regenerationi non est $\sigma\upsilon\sigma\tau\alpha\lambda\iota\kappa\acute{o}\nu$ & essentialis; sed vitæ sanctitas & reformatio potest abesse à verè renato, quia in aliquibus exemplis abest: Ergò vitæ sanctitas & reformatio non est regenerati-
oni $\sigma\upsilon\sigma\tau\alpha\lambda\iota\kappa\acute{o}\nu$ & essentialis.

ERROR

ERROR II.

Efficiens causa est vel primaria, vel organica: 21.
 primaria gemina est: una, Deus, per Evangelium filios generans; altera homo, ad DEVM se convertens, & veteri conversatione abjectâ, novum vivendi genus sectans.

Smalcus Nov. monstr. cap. 20. pag. 166. Deus facit filios per annunciationem Evangelij, in quo hominibus promissa sua offert, si resipiscere & renovari velint, ita ut NULLO MODO SOLIUS Dei opus nostra regeneratio dici possit. Requiritur enim ad eam hominis voluntas & actio, ut scilicet totum se convertat ad Deum & veteri conversatione abjectâ, novum sectetur vivendi genus, quod divinae voluntati congruum est, & situm in perfecta veritate, & justitia, ut Pauli verba innuunt.

EXAMEN.

Causæ renascentiæ efficientes sunt, vel primariæ, vel organiciæ; circa primariam, sic versantur adversarii, ut duas ponant, Deum & hominis voluntatem, ut ille quidem à pristina conversatione per verbum avocet, hæc autem vocationi obtemperet, ac novam vivendi rationem ineat: e contra aliquam veram excludant, nempe Spiritum S. Quantum igitur ad prius illorum attentatum, dubium non est, sitné DEUS vera causa regenerationis? id enim utrinque affirmatur: sed anne Deo, certissimæ causæ nostræ renascentiæ, altera etiam principalis jungenda sit, voluntas regenerandi hominis? Principalibus autem annumeramus, non quod adversariis hanc mentem velimus attributam, quasi sentiant, eodem gradu, & pari virtute
 huc

huc concurrere Deum & hominis voluntatem, sed, quòd homini adscribant peculiare aeternum, regenerationi essentialia, quos Deus non operatur. Còterùm; malè, atque falsò id fieri, partim ex superioribus constare potest, undè majoris lucis gratiã pauca repetemus, iisq; specialia quãdam addentes, hunc in modum errorem redarguimus.

23.

I. Quia illum non patitur appellatio regenerationis. Est *παλιγενεσία* *regeneratio*, vocula *ἐξ ἑαυτοῦ* Job. 3. v. 3. seq. &c. ex numero eorum nominum, quæ dicuntur *κατὰ Διάνοιαν*, nec fortuitò, sed certo quopiam consilio rei significandæ sunt imposita; ideò ab appellatione firmiter procedimus argumentando ad inveniendam naturam rei significatæ; & ductum sacrarum literarum secuti collectionem geminam instituimus; *unam* petentes à *conditione generationis*; *alteram* ex usu vocula, *regeneratio*: *Illam* damus duplicem. 1. Sicut se habet homo generandus in sui ipsius generatione, sic se habet homo regenerandus in sui ipsius regeneratione: Sed generandus se habet purè passivè, nec ullo modo inter efficientes causas numeratur. Ergò & regenerandus se purè passivè habet in sui ipsius regeneratione, nec ullo modo inter efficientes causas numeratur. 2. Causa efficiens generationis præcedit ordine naturæ generationem: (præsupposito autem, quod *regeneratio* sit quãdam *generatio*, quod nemo ut opinamur, negabit,) pergitur subsumendo. Homo generandus, quatenus generandus, non præcedit ordine naturæ generationem; Ergò homo regenerandus, quã talis, non est efficiens causa regenerationis. 3. In omni generatione res generanda habetur ut non ens, & ad entitatem demùm perducendum; Regeneratio est quãdam generatio. Ergò in regeneratione habetur homo regenerandus ut non-ens, & ad entitatem demùm perducendum. Porrò: non-entis quã talis, nulla est actio; homo regenerandus, quã talis, est non-ens. Ergò hominis regenerandi, quã talis, nulla est actio. Nolumus coacervare plura: Cogitet quisquè, an actus secundus, sive operatio prior possit esse actu primo seu re ipsa: an, ens potestate operari possit efficienter, ut fiat ens actu?

Deinde

Deinde: usurpatur vox *regeneratio*, pro mortuorum resuscitatione *Matth. 19. v. 28. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in REGENERATIONE, cum sederit filius hominis in sede majestatis &c.* Quia verò nemo eò progredietur dementiæ, ut statuat, non solùm Deum resuscitationis mortuorum causam esse, sed requiri insuper actionem hominis resurgentis: ideò sic *argumentamur*: Qualiter se habebunt in universali resurrectione omnes mortui, taliter se habet homo regenerandus in sui renascentiâ: Ratio est: Quia mortuorum resuscitatio à Spirituali regeneratione appellationem hanc accipit: Sed omnes è mortuis resuscitandi sese purè passivè habebunt, & Deum unicam causam agentem agnoscent. Ergò & homines regenerandi in propriâ sui regeneratione se habebunt purè passivè.

II. Quia hominis voluntas, ad faciendum bona spiritualia tota inepta est, propendens ad faciendum mala, ad repugnandum Deo, & contradicendum ipsius verbo, ac voluntati. Causa efficiens regenerationis potest. 1. bona velle, 2. facere. 3. facit etiam bona 4. nec ad mala proclivis est 5. Non potest habere cor lapideum. 6. Nec membra ejus sunt arma iniquitatis. 7. nec subjecta est servituti peccati. Ratio: Quia causa regenerationis efficiens producit effectus bonos, à malo regenerandos avertit, cor lapideum transformat in carneum, membra, quæ arma fuerunt iniquitatis, facit arma justiciæ, & liberat à servitute peccati; contrarium autem non est sui contrarii efficiens. Atqui homo ante regenerationem, sive per eam conditionem, qualis ea est priusquam regeneretur, 1. Non potest velle bona 2. *Cor. 5. v. 3. Non sumus idonei, ex nobis ipsis aliquid cogitare boni.* 2. Non potest bona facere, sed tantùm mala *Matth. 12. v. 34, 35. malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala Matt. 15. v. 19. de corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria &c.* 3. Non facit bonum *Psal. 14. v. 4. non est qui faciat bonum, non est, usque ad unum* 4. Est proclivis ad mala *Gen. 6. v. 5. cap. 8. v. 20. Omnis cogitatio humani cordis tan-*

Xx

tùm

24.

tum mala est omni tempore. 5. Cor lapideum est, antequam Deus det carneum *Ezech. 11. v. 19, 20.* 6. Membra ejus sunt arma iniquitatis *Rom. 6. v. 12.* 7. Subjicitur servituti peccati *Job. 8. v. 34.* *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Omnes autem homines faciunt peccata. *Rom. 3. v. 23. cap. 11. v. 32.*) *Rom. 7. v. 23, Lex in membris meis me captivum ducit sub legem peccati.* Ergò homo ante sui regenerationem h. e. per conditionem suam, qualis ea est, priusquam regeneretur, non est causa efficiens regenerationis. Hæc è superioribus fuerunt repetenda.

25.

III. Quia regeneratio nulli prorsus primariæ causæ attribuitur, quàm soli Deo. 1. Dicuntur regenerari homines *ἀνωθεν* è supernis *Job. 3. v. 7.* Est autem vox illa certissima nota rei à Deo promanantis, ut ex his locis quisque deprehendit. *Job. 3. v. 31. cap. 19. v. 11. Jacob. 1. v. 17. &c.* 2. Deinde vox illa *regeneratus* æquipollet alteri *ex Deo natus*; quod monstrant cõplura loca *Job. 1. v. 13. Dedit potestatem filios Dei fieri, qui ex DEO nati sunt. 1. Job. 2. v. 29. qui facit justitiam, ex Deo natus est. cap. 3. v. 9. omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c.* similia vide *cap. 4. v. 7. cap. 5. v. 1. 4. 18.* 3. Expresse profitentur sancti, se esse *ex Deo renatos.* 1. *Pet. 1. v. 3. Benedictus Deus &c. qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos.* Sufficiant ista ad demonstrandum, quod regeneratio sit Dei opus: Quod *solius* Dei, inde patet, quia non legitur attributa ulli causæ, ut principaliter agenti, nisi Deo, & si quid aliud affirmatur regenerare, id hæcenus est Dei organum: Hinc *argumentamur*: Omnis actio, quæ per totam scripturam soli Deo, ut causæ primariæ attribuitur, à quovis Christiano censenda est soli Deo propria. Regeneratio per totam scripturam Deo soli, ut causæ primariæ attribuitur. Ergò regeneratio à quovis Christiano censenda est actio soli Deo propria, & per consequens, non potest ullo prætextu regenerandus homo tanquam causa efficiens primaria suæ ipsius regenerationis, Deo adjungi. *Rursum*: Cujus in referendis causis efficientibus regenerationis tota scriptura nullam omninò mentio-

mentionem facit, is inter efficientes temerè numeratur. Sed voluntatis regenerandorum hominum tota scriptura in efficientibus regenerationis percensendis nullam mentionem facit. Ergò voluntas regenerandorum hominum temerè inter efficientes regenerationis numeratur.

IV. Quia naturalis hominis voluntas tota est aliena ab actibus regenerationis. *Actus regenerationis dicimus eos, quib9 in sacris literis ea circumscribitur, quales sunt, innovatio Spiritus & cordis, abolitio cordis lapidei, & creatio cordis carnei, transmutatio carnis in Spiritum &c.* Cum enim illi non sint actus à regeneratione distincti, sed aliæ saltem voces, naturam renascentiæ melius declarantes, non sanè variant causas, sed quæ causa est renascentiæ, illa & horum quos diximus, actuum; & quicquid negatur esse causa istorum actuum, id hoc ipso negatur causa renascentiæ. Hinc *argumentum*: Vera causa regenerationis est etiam causa innovationis Spiritus & cordis, nec non cæterorum actuum regenerationem declarantium: Homo regenerandus istorum omnium causa non est. Ergò nec regenerationis. Minoris probatio hæc est: Nullus homo valet. 1. *Cor & Spiritum suum innovare*: Quemadmodum enim nemo omnium hominum valet cor, quod corporis est membrum, & Spiritus, animale, vitalem, ac naturalem, quocunque etiam conatu immutare, ut renoventur illi, ut qui putres fuerunt hætenus, jam fluant puriores per corpus humanum; sic cor & Spiritum, (cujus immutationem David pænitens à Deo orat *Psa. 51. v. 11.*) h. e. ipsius naturæ spiritualem conditionem multò minus pro suo lubitu mutare potest, ob hanc rationem, quia homo plus omnino valet in suum corpus, quàm in animam. 2. *Abolere cor lapideum, & creare carneum*. Est hic quoque actus descriptio regenerationis, de quo Dominus *Ezech. 11. v. 19. Dabo eis cor novum, & Spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*; idem repetitur *c. 36. v. 26. Cor lapideum notat naturam incultam & Deo rebellem, cor carneum affectum mitiorem, & Dei observantem.*

Xx 2

Jam

Jam dicat quivis sanæ mentis homo, an ipse vel tantillum præstare possit in hujusmodi sui cordis immutatione? Imò est hoc creatoris opus, non ullius creaturæ: unde rursus inferimus: Ergò multo minus affectus, imò naturalem conditionem suæ animæ, sic immutabit homo nondum renatus 3. *Carnem transmutare in Spiritum*. Sic regenerationem describit Salvator: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*: manifestè docens, quemadmodum ex parentibus naturalibus progenerantur homines carnales, sicut ipsi carnales sunt, ita nasci eosdem ex Spiritu spirituales; adeoque regenerationem esse transmutationem hominum carnalium in spirituales. Denuò expendendum damus omnibus sanis, anne quis, qui carnalis est, & nil nisi carnalia sapit, possit hanc suam naturam exuere, & novam, spirituales assumere? Nemo affirmabit. Scripturam consule, hoc tibi iudicium dabit: *quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Matth. 6. v. 27. non potes unum capillum album facere aut nigrum cap. 5. v. 36. Argumentamur. Qui nequit mutare staturam suam, sed neque colorem unius capilli, is multò minus suam naturam in qua est natus, exuere valet, nec aliam huic repugnantem adsciscere. Prius verum ex ore Christi. Ergò verum & posterius.*

37.

V. Quia vera & propria media regenerationis tantum actioni divinæ, nullatenus verò humanæ subserviunt. Siquidem regeneratio gemina actione constare dicitur ab adversariis, quarum una sit à Deo, altera à voluntate hominis, videndum, etiamne utrique conveniat usus veri, & proprii organi, seu medii per quod fit regeneratio. Instituímus ejusmodi *discursum*. Causæ veræ & principaliter agenti subordinantur, vera & propria organa isti actioni servientia. Atqui homini regenerando non subordinantur vera & propria organa regenerationi servientia. Ergò homo regenerandus non est causa vera & in sui ipsius regeneratione principaliter agens.

Major

Major omnibus exemplis est comprobata, ubicunq; deprehensa fuerint causæ primariæ per organa agentes: nemo enim scindit, aut secat ligna, nisi qui securi, aut ferrâ utitur: nulli sive substantiæ, sive facultati competit operatio visus in animali, nisi cui servit oculus; nulla pars, aut facultas hominis affirmatur loqui, nisi, quæ linguâ utitur organo; & sic universaliter se habent omnes causæ per organa, & media operantes; ut verum sit, omni principali causæ subordinari organa ad actionem ordinata. Quod si sperarint adversarii, se sic elapsuros, ut dicant, Deum quidem uti organis, hominem autem regenerandum sine mediis abjicere conversationem pristinam, idcirco regenerationem ex sua parte citra organorum adminicula operari, sic illis rimam obstruimus: Aut operatur homo in sui renascentiâ absq; mediis, aut per media: si per media, illa aut erunt eadem cum his, quibus Deus utitur, aut ab iis diversa. Non eadem, ut in confirmatione minoris patebit: neque diversa; si quidem nec talium scriptura meminit, nec quicquam illorum adhuc monstrarunt adversarii. Si absq; mediis, & hoc docere tenetur, quisquis affirmare fuerit ausus. Minoris deductio hæc est: *Media regenerationi servientia*, sunt 1. *Verbum Dei*, quod ideò semen vocatur, ex quo renascuntur sancti, 1. *Pet. 1. v. 23. Luc. 8. v. 11.* 2. *Baptismus*, lavacrum regenerationis, *Tit. 3. v. 5. Job. 3. v. 5.* 3. *Minister* verbum prædicans, & *Sacramentum* administrans, qui pater est per verbum generans, 1. *Cor. 4. v. 15. per Evangelium vos genui*: plura annotata hæcenus non deprehendimus. Sed homo regenerandus his uti nequit: *non verbo*, quod est *potentia divina* (nequaquam humana) *Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 1. v. 24.* per quam Deus regenerat, 1. *Pet. 1. v. 23.* At qui homo semen non spargit namq; is est herba è semine succrescens, sed paterfamilias, *Luc. 8. v. 5.* inde Apostolus: *Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus dedit incrementum*, 1. *Cor. 3. v. 6.* Neq; *baptismo*, qui est medium, quo homo regeneretur, non seipsum regeneret, *Job. 3. v. 5.* imò lavacrum, non hominis regenerandi, sed Christi Ecclesiam lavantis, *Eph. 5. v. 26.* Et Spiritus sancti baptismo ad regenerandum hominem utentis, *Tit. 3. v. 5.* Non deniq; *ministeris*, utpote cui virtutem conferre non valet regenerandus.

Deus autem in illo, & per ipsum operatur, *Marc. 16. v. 20. 1. Cor. 15. v. 10.* nec dubitamus, in re adeo clara nos habituros confitentes reos.

28. VI. Quia soli Deo nascuntur filii per regenerationem, nemo autem sui ipsius evadit filius, quando renascitur. Sicut parentum filii sunt illi, qui ex parentibus sunt nati, sic omnes regenerati per regenerationem fiunt filii ejus, ex quo sunt renati: Loquimur autem de causa principaliter agente, ubi certum est, omnem generationem inferre paternitatem, & ea de causa vocantur renati per totam scripturam filii Dei, imò Paulus Apostolus, qui organica saltem hujus spiritualis generationis causa existebat, non veretur, *filios suos* vocare, quos ipse per Evangelium genuit, aut verius regenuit, *1. Cor. 4. v. 15. Galat. 4. v. 19. Philem. v. 10.* Argumentamur itaque: Quicumque generatur, is est filius sui generantis: Omnis homo renascens generatur. Ergo omnis homo renascens est sui generantis filius. Pergimus subsumendo: Atqui homo renascens non est sui ipsius filius. Ergo homo renascens non est sui ipsius generans.

29. VII. Quia effectus, & consequentia regenerationis non pendent ulla ratione ab homine regenerando. Effectus regenerationis sunt: 1. *Adoptio*, quemadmodum enim nati, sunt suorum parentum, è quibus prognati fuerint, *filij*; sic ex Deo regeniti sunt filii Dei, & quos Apostoli per Evangelium genuerant, vocant suos filios, *Philem. v. 10. 1. Petr. 5. v. 13. 1. Job. 2. v. 1. 2. Spes viva*, secundum Petrum, *1. Pet. 1. v. 3. regeneravit nos in spem vivam.* Itaque; argumentamur: Quicumque; omni modo negatur hominem regenerandum adoptare, illique; dare spem vivam, is nullo modo est causa efficiens regenerationis. Homo regenerandus negatur omni modo se ipsum adoptare, sibi que; spem vivam largiri. Ergo homo regenerandus nullo modo est causa efficiens regenerationis.

30. VIII. Quia venerari quempiam, ut suæ spiritualis generationis patrem, est cultus soli Deo debitus: nam idololatriam reprehendens Dominus per Jeremiam, inter
alia

alia sic ait: *confusi sunt domus Israël &c. dicentes ligno: pater meus es tu, & lapidi: tu me genuisti, Jerem. 2 v. 26. 27.* Unde sic argumentatur: Quisquis præter solum Deum constituit primariam causam suæ spiritualis generationis ullam creaturam, is cultum Deo debitum aliò transfert, & idolomanias fit reus. Atqui omnis, qui se ipsum facit primariam causam suæ spiritualis generationis, is constituit præter Deum aliquam creaturam suæ spiritualis generationis causam primariam. Ergò qui seipsum facit primariam causam spiritualis generationis suæ, cultum Deo debitum aliò transfert, & idolomanias fit reus.

OBJIGITUR demonstratis, quòd Deus quidem promissiones suas promulget homini, si velit resipiscere, & renovari: requiratur autem hominis voluntas, & actio, ut se totum convertat ad Deum & veteri cõversatione abjectâ, novum sectetur vivendi genus &c. *Smalcus* loco supra allegato. RESP. I. Hominis voluntatem requiri in conversione, jam dudum concessimus, eandem verò nõ ut efficientem, sed tanquam materialem cõcurrere probavimus: versatur autem in lite, an voluntas *ut efficiens* concurrat ad cõversionem? Cujus affirmativa eo modo non probatur. 2. Actio hominis ad regenerationem nõ requiritur: Si enim Deus dat velle & perficere, & cõversio solius Dei operatio, utiq; hominis actio huc nequaquã concurret. 3. Falsum est itaq; & hoc, quòd homo seipsum convertat ad Deum. Sed hæc ex alibi demonstratis. 4. Abjectio veteris conversationis, & studium novæ & sanctioris vitæ, dupliciter consideratur, vel ratione primæ mutationis, qua mens veterem conversationem primitus abjicit, ac novæ studere incipit, vel ratione cõtinuationis, per quam homo renatus, dum vivit, membra sua mortificat, & carnem crucifigit: priore modo nemo hominum suam mentem mutat, sed hoc Dei opus est: Posteriore jam novis viribus instructus est homo, quibus per Spiritum facta carnis mortificat, *Rom. 8. v. 13.* Quod tamen non operatur ipse, ex se, tanquam ex se, utpote huc nequaquam idoneus, *2. Cor. 3. v. 5.* Sed gratia Dei, quæ est in ipso, *1. Corinth. 15. v. 10.* Et Spiritus mentes innovans. *Tit. 3. v. 5.* & ad piè agendum idoneas reddens, *1. Cor. 12. v. 3.*

ERROR

ERROR III.

32. Neq; tamen Spiritus sanctus regenerationem causatur, utpote, qui non datur, nisi jam tum rege[n]itis, ideò regeneratum sequitur, non regenerandum antecedit.

Smalcus Nov. Monstr. cap. 20. pag. 166. Id quod Deus in homines infundit, est Spiritus illius sanctus, sed per hunc generatio spiritualis non efficitur. Nam is non nisi ijs, qui jam per annunciationem, & receptionem Evangelij reverà regenerati sunt, promissus est, & datur, ut omnia loca, quibus eum alicui dari, docetur, testantur.

EXAMEN.

33. Indubitantèr credit fides Christiana, regenerationem esse opus Spiritus sancti; quæ, cum firmiter hoc etiam in capite sit fundata, utique discessu factò à Phorinianis, nil dubitamus affirmare, Spiritum sanctum vel maximè causam esse regenerationis, quod his argumentis obtinemus.

34. I. Quia Scriptura Sacra id quàm clarissimè asserit. Quando de regeneratione agitur, frequentèr introducitur Spiritus Sanctus ut illius causa: *Joh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITU SANCTO, non potest introire in regnum Dei, v. 6. Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, v. 8. Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu, Tit. 3. v. 5. Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti. Argumentamur: ex quo renascuntur homines, & cujus est lavacrum istud, per quod illi renascuntur, id causa est, eaque primaria regenerationis. Ex Spiritu sancto renascuntur homines, & Spiritus sancti est istud lavacrum, per quod homines regenerantur. Ergò Spiritus sanctus est causa, eaque primaria regenerationis.*

II. Quia

II. Quia Spiritui sancto competunt essentialia actus regenerationis, ut effectus causæ. Actus illi sunt: 1. *Carnis mortificatio*: ut enim necessum est, semen in agrum sparsum cōputrescere, si quicquam debet ex eo renasci. *Johan. 12. v. 24.* sic, ut generetur homo novus, oportet veterem exui, *Eph. 4. v. 22.* carnem crucifigi cum concupiscentiis suis, *Gal. 5. v. 24.* membra terrena mortificari, *Coloss. 3. v. 5.* veterem hominem crucifigi, & corpus peccati destrui, *Roman. 6. v. 6.* regenerandum peccato mori, *Rom. 6. v. 2. 11.* ut regeneratus sit quasi ex mortuis vivens, *Rom. 6. v. 13.* ita mortuus, ut vita ejus abscondita sit in Christo, *Col. 3. v. 3.* Hæc carnis mortificatio est opus Spiritus sancti, *Rom. 8. v. 13.* Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 2. *Spiritualiter mortuorum vivificatio*. Sicut generatio formaliter consistit in vivificatione rei generandæ, sic & regeneratio. Sed & illa est Spiritus sancti opus, *Rom. 8. v. 11.* *Quod si, Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra PER inhabitantem SPIRITUM suum in vobis, Job. 6. v. 63. SPIRITUS est, qui vivificat, caro non prodest quicquam, 2. Cor. 3. v. 6. Litera occidit, Spiritus autem vivificat. Argumentamur: Quicumque hominem naturalem spiritualiter mortificat, & rursus vivificat, ut spiritualiter, peccato mortuus, Deo vivat, & justitiæ serviat, is utique est vera causa regenerationis: (quia is causa est regenerationis, qui causa existit actuum, regenerationem essentialiter constituentium:) At: Spiritus sanctus hominem spiritualiter mortificat, & vivificat, ut is, mortuus peccato, Deo vivat, & justitiæ serviat. Ergo Spiritus sanctus est vera causa regenerationis.*

III. Quia Spiritus sanctus usurpat media regenerationi propriè destinata. Quemadmodum primaria generationis causa censetur, quicumq; legitimè usurpat media generationi destinata, sic primaria regenerationis causa putatur esse ea, quæ, media & organa regenerationi destinata legitimè usurpat. Spiritus autem sanctus legitimè utitur organis ac mediis ad regenerationem operandam destinatis; Ea sunt triplicia: 1. *Ver-*

11

buna

bum Domini, quod est semen Ecclesiae, *Luc. 8. v. 11.* de quo Petrus, *1. Epist. 1. v. 23.* *Renati estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, &c.* 2. *Baptismus*, uti mox probabitur. 3. *Ministerium Ecclesiasticum*, *1. Cor. 4. v. 15.* *non multos habetis patres; nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui.* Spiritus sanctus ad regenerationis opus perficiendum, ut causa principalis dirigit hæc modo dicta organa seu media. 1. *Verbum*: *Eph. 6. v. 17.* *assumite gladium Spiritus, qui est verbum Dei.* 2. *Baptismus*; *Tit. 3. v. 5.* *Lavacrum regenerationis SPIRITUS SANCTI*: qui vel ideò in notandâ regenerationis causâ conjungitur aquæ. *Job. 3. v. 5.* *renatus est ex aqua & Spiritu*, ubi aquam notare organicam, & Spiritum primariam causam, præter aliam, argumento est, quòd in sequentibus versibus, 6. & 8. ipsi soli effectus iste tribuitur. 3. *Ministerium Ecclesiasticum*, cujus director, vereq; primaria causa est Spiritus sanctus, qui in opus suum separari jubet Ecclesiae precones, *Actor. 13. v. 2.* ponit Episcopos ad regimen Ecclesiasticum, *Actor. 20. v. 28.* & omnia in omnibus operatur, *1. Cor. 12. v. 4. 5. 6.* Divisiones donorum sunt, idem autem Spiritus, divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Concludimus*: Ergò Spiritus est primaria causa regenerationis.

37.

IV. Quia propria & essentialia Regenerationis consequentia causam veram, primariam, ac propriam habent Spiritum sanctum. Commodè hîc adhibemus logicum axioma: *Causa cause est causa causati*; namq; cum in re præsentè tantùm respiciamus ad causas *per se* agentes, de illis verum esse assignatum axioma, nemo est sanorum hominum qui dubitet. Spiritus sanctus autem est causa *per se*, illorum, quæ regenerationem *per se* consequuntur; qualia sunt: 1. *Hominis renati innovatio*, quæ potius dicenda videtur regenerationi constitutiva, quàm consecutiva, estq; à Spiritu sancto, *Rom. 7. v. 6.* *Serviamus in novitate Spiritus.* *Tit. 3. v. 5.* *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* 2. *Ejusdem confirmatio*, *Eph. 3. v. 16.* *Deus det vobis, ut corroboremini per Spiritum suum in interiore ho-*

re homine. 3. *Adoptio*, Rom. 8. v. 15. *Accepistis Spiritum* uo *gratias*,
adoptionis. 4. *Sanctitatis studium*, Rom. 8. v. 14. *qui Spiritu Dei a-*
guntur, ij sunt filij Dei, Eph. 5. v. 18. 19. *Implemini Spiritu sancto lo-*
quentes invicem in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus &c. Ga-
lat. 5. v. 16. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege, v. 22. fructus
autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia &c. 5. *Impieta-*
tis odium, 1. Cor. 12. v. 3. *nemo spiritu Dei loquens dicit anathema*
Jesu, Eph. 4. v. 29. 30. *Omnis sermo malus ex ore vestro non proce-*
dat, sed, si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audienti-
bus, & nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in
die redemptionis: omnis amaritudo, &c. tollatur à vobis, cum omni
malitia. 6. *Conscientiæ tranquillitas*, Rom. 8. v. 16. *Spiritus S. testi-*
monium reddit nostro spiritui, quòd simus filij Dei; Rom. 15. v. 13.
Deus repleat vos omni gaudio &c. ut spe abundetis per virtutem Spi-
ritus S. 7. *Pia confessio*, 2. Cor. 4. v. 13. *habentes eundem spiritum fi-*
dei, &c. & nos credimus, propter quod & loquimur. 8. *Oratio*, Rom.
 8. v. 15. *accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus,*
Abba pater. Hæc omnia sunt propria consequentia regeneratio-
 nis; ut eorum omnium ad regenerationem applicatio monstrat,
 & confitentur adversarii, si modò verum censent, quod Smalcus
 scribit regenerationem esse integram animi, & actionum mutatio-
 nem; lib. de natura. Dei filio cap. 2. pag. 17. quod intelligimus de ani-
 mi, & actionum aversione à peccato, & conversione ad bonum,
 ut & illorum, quæ peccatum, vel conversionem consequuntur:
 Item disput. 12. post. cont. D. Frantz. pag. 449. *Regeneratus nullum*
peccati habitum habet, & sibi peccandi occasione oblatâ, ut pluri-
imum à peccando abstinet. Concludimus: Ergò Spiritus sanctus est
 vera, primaria & propria regenerationis causa.

V. Quia Spiritus sanctus est causa operum similium,
 & regenerationi immediatè, ac necessariò connexorū:
 Qualia sunt, *justificatio, sanctificatio, à peccatis ablutio*; nam illa à
 Spiritu sancto autore promanare, testimonia sacra loquuntur.
 1. Cor. 6. v. 11. *hæc aliquando fuistis (fornicarii, idolis servientes &c.)*
sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Do-
mini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, 1. Pet. 1. v. 2. Electis

38.

Ty 2

advenis,

advenis, secundum præscientiam Dei patris in sanctificationem Spiritus. Argumentamur: Quicumq; est causa justificationis, sanctificationis, ablutionis à peccatis, is est quoque causa regenerationis, tanquam actuum ea necessitate regenerationi connexorum, ut ab invicem realiter disjungi nullatenus possint. Sed Spiritus sanctus est causa justificationis, sanctificationis, & ablutionis à peccatis. Ergò Spiritus S. est etiam causa regenerationis.

39.

VI. Quia adversarii non possunt per suas hypotheser diffiteri Spiritum sanctum regenerationis causam. Spiritus sanctus est ipsis potentia divina, per quam Deus omnia in omnibus operatur, nec non eximia Dei dona, hominibus data: *Socinus tract. de Deo, Christo, & Spiritu sancto, cum assert: prima Pofnaniensis Photinianam opinionem de Spiritu S. referret, his verbis: Spiritus sancti nomine in sacris literis nullam personam significari docet; sed nunc potentiam divinam, nunc eximium Dei donum, hominibus datum; Socinus annotat: Nihil verius dici potuit. Stante ergò hac thesi, argumentamur: 1. Omne opus divinum, à potentiâ Dei promanat. Regeneratio est opus divinum. Ergò à divinâ potentiâ promanat. Major certa est, siquidem aliud idioma, per quod Deus, opera sua efficiat, non est, nisi essentialis ejus potentiâ. 2. Omne eximium Dei donum aut est ipse Spiritus S. aut illius effectus. Regeneratio est eximium Dei donum. Ergò regeneratio aut est Spiritus sanctus, aut illius effectus: prius nondum videmus ab adversariis assertum aut probatum: Ergò statuam, oportet, posterior. Deinde: per quod hominis sensus interiores purgantur, intellectus renovatur, & voluntas instauratur, ut nisi hæc omnia ab ipso fierent, homo denuò natus, & planè renovatus dici non posset, id est regenerationis causa. Per Spiritum sanctum hæc omnia fiunt, ut scribit Socinus de baptismo aquæ cap. 4. pag. 47. nisi Spiritus divini ope hominis sensus interiores purgentur, & ipse intellectus renovetur, etiamsi instauraretur voluntas, homo tamen ipse denuò natus, & planè renovatus dici non posset. Ergò baptismus est regenerationis causa.*

OBJICI

OBJICITUR: *Spiritus Sanctus non nisi iis, qui jam per annunciationem & receptionem Evangelij reverà regenerati sunt, promissus est, & datur.* Argumentum hoc est: Quicquid non datur, nisi jam tum regeneratis, hoc nequaquam est causa regenerationis; quod enim regenerationis est consequens & effectus, non potest esse illius antecedens & causa. Sed Spiritus S. non datur, nisi jam, tum regeneratis. Ergò Spiritus S. nequaquam est regenerationis causa, ut omnia loca, quibus eum dari alicui, docetur, testantur.

40.

RESP. 1. Elenchi ignoratio committitur: aliud enim est quærere; *cuiam detur Spiritus S.? & in quem Spiritus S. operetur?* Est verò in quæstione, anne Spiritus S. operetur in regenerandum? probat Smalcus, Spiritum S. non dari, nisi regenitis, quod elenchum nostræ assertionis non habet: Interdum enim operatur Spiritus S. in hominem non renatum, cui tamen Spiritus S. non datur, five ut inhabitans, five ratione donorum illius, quemadmodum pupugit cor Agrippæ regis, ut primum aliquem motum ad conversionem sentiret, cum diceret Paulo: *in modico suades, me Christianum fieri, Act. 26. v. 28.* Attamen Spiritum S. huic Agrippæ fuisse datum, non legitur, sed neque usquam à nobis asseritur. 2. Ut verò argumenti inanitas magis etiam innotescat, dicimus; in confesso est, quòd Spiritus Sanctus detur renatis, quòd autem tantum illis, non probat Smalcus; nec docent omnia illa loca, ad quæ ipse provocat, cum eorum omnium ne unus quidem particulam exclusivam habeat. 3. Ipsius verò argumenti consequentia nullius est momenti, quippe consistens in eo, quòd Spiritus S. cum *detur semel*, & verò detur post regenerationem, non possit cuiquam ante regenerationem jam esse datus: Quod fundamentum plurimum fallit: quia Spiritus Sanctus datur etiam illi, cui tamen idem jam ante fuerat datus. Spiritus Sanctus datus fuerat Johanni Baptistæ jam in utero matris. *Luc. 1. v. 15. 41.* Attamen dabatur illi, quando ad ætatem adultam pervenerat, & vitam juxta Dei voluntatem conformare instituerat. hoc est, cum regeneraretur, postquam (ex hypothesi Photinianâ loquimur) Evange-

41.

lium revelatum acceperat. Apostolis dabatur Spiritus Sanctus, quando Dominus Jesus post resurrectionem suam ipsos afflabat, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum Job. 20. v. 22.* iisdem dabatur idem, in die Pentecostes *Act. 2. v. 3.* Vide ergo Spiritum Sanctum tertiâ vice Apostolis datum 1. Cùm illi regenerarentur per vitæ novitatem & correctionem. 2. Cùm Christus eum suo halitu ipsis daret. 3. Cùm in die Pentecostes super eos effunderetur. Falsum ergo est, Spiritum Sanctum dari tantum, semel, falsum, cui Spiritus Sanctus datur post regenerationem, eidem non dari in regeneratione. Similiter replebatur Elisabetha Spiritu Sancto *Luc. 1. v. 41.* quæ jam tum illo plena erat, quod vitæ sanctitas testatur. *vers. 6.* Ecclesia Christiana Jerosolymitana implebatur Spiritu Sancto *Act. 4. v. 31.* quam tamen eo fuisse donatam, preces arguunt *v. 24. seq.* 4. Negamus minorem; probari enim potest manifestè, quòd detur Spiritus Sanctus iis, qui vel in regenerationis actu adhuc consistunt, vel secundum Photinianam hypothèsin nondum possunt esse regeniti. Dum Petrus prædicaret in domo Cornelii, & auditores in conversionis ac regenerationis actu constituerentur, illapsus est super eos Spiritus Sanctus. *Act. 10. v. 44.* Item qui regenerantur ex aquâ & Spiritu Sancto iis datur Spiritus Sanctus (ratione gratiosæ operationis) etiam cùm nondum sunt pleno, ac perfecto actu regeniti. Sed omnes, quicumque regenerantur, ii regenerantur ex aquâ & Spiritu Sancto. *Job. 3. v. 11.* Ergo omnibus, quicumque regenerantur, datur Spiritus Sanctus, etiam cùm nondum sunt pleno ac perfecto actu regeniti. In specie, de *Johanne* pronunciat Angelus Gabriel *Luc. 1. v. 15.* *Spiritu Sancto implebitur ab utero matris suæ:* ubi volumus meminisse adversarios, quòd illi infantes à regenerationis beneficio omni prorsus modo excludant, nec tamen Johannem Spiritu Sancto privare possint: unde *argumentamur:* Nul-
lus infans regeneratur: cuidam infanti datur Spiritus Sanctus. Ergo cuidam, qui regeneratus non est, datur Spiritus Sanctus.

ERROR

ERROR IV.

Causa organica, seu medium regenerationis est verbum, non autem Baptismus, cui tantum effectum tribuere, idololatricum est.

Smalcus contr. D. Frantz. disp. 10. pag. 324. probare conatur Frantzius, infantes habere fidem. Id verò facturum, nostra argumenta refutat, quibus docemus, homines per baptismum non regenerari. Argumentum primum nostrum est. Aqua est merè materialis. Ergò non regenerat. Idem disp. 8. poster. pag. 422. Verba Pauli (Titum 3. vers. 5, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.) de lavacro regenerationis, hoc est, de lavacro, quod est regeneratio, loquuntur. Baptismus autem aquæ pro regeneratione habere, idololatricum quiddam censendum est, præsertim, si de paedobaptismo id intelligatur, de quo procul dubio loquitur Frantzius. Hic enim lusus est puerilis, nedum, ut cum regeneratione quicquam commune habeat. Theophilus Nicoliad. tract. de Eccles. & missione &c. cap. 10. pag. 111. Quid verò est, in errore crasso versari, si hoc non est, quòd baptismus aquæ dicatur lavacrum regenerationis? Baptizantur, qui ratione & fide carent, & tamen regenerantur? Baptizantur, quos, postquam adoleverint, plerosque videmus omni fide, & pietate carere, & tamen regenerati sunt. O fidem, ô regenerationem! Ostorod. Instit. german. cap. 39. pag. 358.

Die Wasser-Tauff hat nicht solche Kräfte / das
der Mensch durch dieselbe Heilig / Fromb / Ge-
recht / vnd also selig werden
kündte / &c.

EXA=

43.

A consideratione causarum regenerationis primariarum, ad secundarias sive organicas progressum facientibus, de Baptismo agendum venit; & quamvis suo loco istius regenerationis lavacri integritatem Deo adjuvante simus asserturi; nunc tamē, quando de causis renascentiæ sermo est, in quibus & baptismum numeramus, hinc quoquē illius effectus tangendus fuit. Nil verò dubitamus asserere, *baptismum esse divinum regenerationis organum*, nil ambigentes dicam scribere negantibus adversariis.

44.

I. Quia scriptura sacra apertè asserit, baptismum esse regenerationis lavacrum. *Joh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Tit. 3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S.* Argumentamur: Quod est lavacrum regenerationis, per quod homo renascitur, id omninò est renascentiæ causa, & quidem organica. Baptismus est lavacrum regenerationis, per quod homo RENASCITUR. Ergò baptismus est regenerationis causa & quidem organica. Minorem evidentibus scripturæ locis roboratam inficiantur Photiniani pleno ore, dicentes, nullam hinc factam mentionem *baptismi*: sed, ut distinctius agamus, de utroque loco, quidnam illi excipiendo tradant, & quid scriptura respondere jubeat, videbimus.

De Loco *Joh. 3.* ita statuunt: I. *Non loqui salvatorem de baptismo aque*, quia. 1. illa sit res terrena 2. quia nemo, nisi baptismo tinctus, servaretur. II. *per aquam intelligi Spiritum Sanctum, vel pœnitentiam*, per quam datur peccatorum remissio. III. *Regnum cœlorum ingredi, non significare servari*, seu vitam æternam adipisci. Ita sentiunt *Socinus tract. de baptism. aque. cap. 4. p. 44. seq. Smalcus disp. 10. cont. D. Frantz. p. 325.*

Quibus ita Respondemus. 1. Sensus planus est, & cuivis ad primum verborum intuitum obvius, quo nomine ad conscientiam

tiam

tiam quorumvis provocamus. 2. Res omnis in tribus consistit; ut nempe certum fiat. 1. de aquæ baptismo sermocinari Dominum. 2. aquam non significare idem, quod Spiritum. 3. Regnum coelorum notare æternam beatitudinem. De singulis demonstrabimus veritatem.

Primum ita habet. *Joh. 3. non loquitur Christus de baptismo aquæ.* RESP. Imò de baptismo aquæ: quia. 1. *Vox aquæ habetur in textu,* intelligimus igitur aquam, nisi quid aliud doceatur. Quod verò *baptismus* aquæ notetur, evincit aquæ applicatio, quæ nusquam jubetur bibi, sed illi immergi, eaque lavari. Nullam verò aquam, nullius aquæ lavacrum scit universa scriptura, & tota Theologia, per quam adeò salutare effectus producantur, præter baptismum. 2. *Quia vox Domini de baptismo sumpta cū cæteris actibus, mādatis ac pronuntiatis convenit.* Actus dicimus, quos exercuit Johannes *Matth. 3. v. 9.* & eo ipso viam paravit Messia: Apostoli, ad mandatum Christi baptizabant *Joh. 4. v. 2.* undè liquidò poterat constare, cum & præcursor Johannes, & discipuli aquam, ceu rem sacram tractarent, non de aqua alia, quàm sacrâ illa baptismi, publicè notâ, sermonem fieri. *Mandatum* Christi legitur *Matth. 28. v. 19.* *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & annectitur *Marc. 16. v. 16.* *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, quod quàm exactissimè congruit cum illo Christi; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu &c.* Quò refertur sive mandatum, sive consilium Apostolicum: *penitentiam agite, & baptizetur unusquisquè in remissionem peccatorum.* *Act. 2. v. 38.* Pronunciata varia leguntur. *Tit. 3. v. 5.* *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* *Eph. 5. v. 26.* *Mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo &c.* quod illud *lavacrum,* quæ illa *aqua?* nisi dictus fuerit baptismus, omnia hæc loca sufficienter exponi, ac declarari nequeunt. 3. *Quia, quò minus baptismi aquam intelligamus, nil prorsus obstat.* Quæ enim hîc prætenduntur, iis postea satisfiet. Hæc in unum colligentes, sic argumentamur: Quicquid postulat. 1.

Zz

vis

45.



vis, ac proprius significatus vocis, & phraseos. 2. Totius scripturæ patefactio, & Theologica scientia. 3. vera, solidaque expositio aliorum in sacris annotatorum actuum, mandatorum & pronunciatorum. 4. Nec quicquam est, quod diversum svadeat; hoc utique verum esse oportet. Sed in verbis Christi, *Johan. 3.* intelligi baptismum aquæ, postulat 1. vis ac proprius significatus vocis & phraseos, &c. Ergò in verbis Christi *Johan. 3.* intelligi baptismum aquæ, verum esse oportet.

46.

Secundum: *per aquam intelligitur Spiritus Sanctus, qui alicubi aquæ confertur*: Socinus *disp. de baptism. cap. 4. pag. 47. seq.* qui tamen sibi ipsi non constans *pag. 46.* scribit: *mibi ea maximè sententia probatur, quæ à peccatorum sordibus ablutio- nem, sive ipsam pœnitentiam per quam à peccatis abluimur, ea voce (aquæ) significatum esse vult*: Consentit in priorem interpretationem Smalcus, qui in eum finem particulam E T facit expositivam, ut sensus sit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, id est, Spiritu, disp. 10. contra D. Frantz. pag. 325.* Sed & hoc falso. Nam 1. *non probatur* per aquam in loco præsentem intelligi Spiritum Sanctum, quamvis alicubi aquæ nomine dicatur. 2. *fit manifesta distinctio aquæ & Spiritus*, nec ullum documentum monstratur, quod vel probabiliter arguat, multò minus quod cogat, aquam intelligere de Spiritu Sancto. Vanum autem est, particulam, E T, negare copulativam, & statuere expositivam, cum significatus copulans sit illi particulæ proprius, ac fermè unicus; alter rarissimus, & improprius; neutrum verò probetur; insuper vanissimum sit, nihil ejus quod dicitur, confirmare, neque affirmationem probando, neque negationis rationem assignando. 3. Aquam in hoc loco esse pœnitentiam, quomodo potuit Socinus somniare, aut quomodo probabit unquam? Sed perhibent illi homines testimoniū, quòd causa sua omni fundamento careat, cum illi nullum substernere audeat vel Socinus vel Smalcus.

Ter-

Tertium : *Ingrēdi in regnum DEI, aliud quid significat, quàm servari, seu vitam æternam adipisci.* Socin. *disp. de bapt. pag. 51.* Resp. 1. Nudè dicitur, non probatur. 2. Regnum DEI vel significat regnum *potentiæ*, cui omnes creaturæ, ipsi etiam Diaboli, & in inferno damnati subsunt: vel regnum *gratiæ*, quo in Ecclesiam colliguntur homines, ut gratiæ DEI in Evangelio oblata reddantur participes: vel *gloriæ*, quod alterius seculi beatitudine, & æternâ vitâ ornat, ac donat perseveranter credentes. Verùm: non regnum *potentiæ* notat Christus, ad quod nil opus est ingressu per divinæ gratiæ peculiare organum, cum subsint omnes res creatæ: si *gratiæ*; utique includitur & regnum *gloriæ*: quia cùm nemo ad gloriosum regnum perveniat, nisi fuerit in hoc seculo sub regno *gratioso*, certè; si nemo potest ingredi regnum *gratiæ*, nisi renatus, nec quisquam intrabit regnum *gloriæ*, nisi renatus. 3. Interpretatio negativa est, dicens quid textus non intelligat, cùm debeat simul esse affirmativa, & quidnam intelligatur, monstrare: sed miserè hîc etiam Socinus deficit. 4. Et hinc nos ita *concludimus*: Si nihil aliud nominari, aut cogitari potest, quod *Johan. 3. vers. 5.* nomine, *regnum DEI*, intelligatur, quàm *vita æterna*, tùm sanè illa hac voce intelligetur. Prius verum est, provocamus enim ad conscientias, & ingenia adversariorum, ut quid aliud probent, quod hactenus nullus facere vel conatus fuit. Ergò verum est etiam posterius. 5. Nicodemus quærebat de nullâ re aliâ, quàm de vitâ æternâ: De nullâ igitur re aliâ respondit Dominus. Estquè vana ratio, quam Socinus negationi suæ attextit: *quia nec terrena aqua, nec univèrsa ceremonia baptismi aliquid cum divinarum rerum scientiâ commune habet.* *Ibid.* Sed ne nos in re nihili detineamus; principium petitur; & diversum fuit probatum, diversum quoquè loquitur ipsa hæc vox Christi, de qua modò egimus.

De loco *Tit. 3. v. 5.* ita sentiunt. 1. Lavacrum illud non est baptismus. 2. Sed regeneratio ipsa, ideo dicitur

Zz 2

lava-

lavacrum regenerationis & renovationis ; Est verò illud lavacrum regenerationis nihil aliud, quàm vera per Evangelij prædicationem pœnitentiã, per quam novi homines efficiuntur. Ita *Socinus disp. de baptism. pag. 39. Smalcius contra D. Frantz. disp. 10. pag. 312. & disp. 8. poster. pag. 422.* RESP. ad prius : 1. Ratio negationis nulla ex textu datur, quâ ratione quidvis negare liberum esset. 2. Non dari potest huiusmodi celebre, salutare, & ordinarium lavacrum ; hoc nomine celebratum, quod à peccatis mundet *Actor. 2. vers. 38.* fœdus cum DEO pangat. *1. Petr. 3. v. 21.* & fores æternæ vitæ pandat *Marc. 16. vers. 16.* nisi baptismus : Ideò *argumentamur* : Illud lavacrum intelligit Paulus, quod nos salvat : Baptismus est ejusmodi lavacrum, quod nos salvat, dum à peccatis mundat, fœdus cum DEO pangit, & fores æternæ vitæ pandit. Ergò baptismum Paulus intelligit.

49.

Ad posterius : Lavacrum regenerationis non est ipsa regeneratio ; quia. 1. Phrasis ita est comparata, ut non per appositionem exponatur, quasi dicat ; salvat nos lavacro regeneratione, sed per connexionem causæ, & effectus ; quasi dicat, salvat nos lavacro regenerante ; illum enim locutionis modum rarum, hunc ordinarium, & frequentem esse, nemo nescit. 2. Nulla causa est, duram istam appositionem flagitans, est verò, sensum planum sequi jubens. 3. Exponitur, quid sit, *salvare lavacro regenerationis* : 1. per *baptizari in remissionem peccatorum* *Actor. 2. vers. 38.* 2. Per *mundari lavacro aquæ in verbo* *Ephes. 5. v. 26.* 3. per *regenerari ex aquâ.* *Johan. 3. v. 5.* Omnia verò hæc loca de re eadem accipienda, suadent ipsi quoque adversarii ; ex iis ergò hæc fluit *collectio* : Lavacrum, quod peccatorum remissionem, à peccatis mundationem, & regenerationem, operatur, tanquam causa suos effectus, hoc non est ipsa regeneratio, verùm causa organica, per quam illos DEUS operatur. Hoc autem lavacrum, cui Paulus nostram salutem, attribuit, operatur remissionem peccatorum &c. tanquam causa suos effectus, Ergò

Ergò lavacrum, cui Paulus nostram salutem attribuit, non est ipsa regeneratio, sed causa organica, per quam Deus illam operatur. Hæc paulò prolixius ad retundendum nugas Photinianas.

II. Quia baptismus operatur proprios regenerationis effectus. Tale formamus *argumentum*: Quicquid operatur proprios regenerationis effectus, illud ipsius causa est: quia in agentibus per se, causa causæ est causa effecti: Sed baptismus operatur proprios regenerationis effectus. Ergò baptismus est ipsius regenerationis causa. Minorem confirmamus enumeratione effectuum regenerationis baptismo ceu causæ attributorum, quales sunt: 1. *Emundatio à spirituali impuritate peccatorum*, Eph. 5. v. 26. mundavit Ecclesiam suam lavacro aquæ in verbo, Act. 2. v. 38. Baptizetur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum. 2. *Hominis carnalis in spiritualem mutatio*, ut desinat sapere carnaliter, & sectetur opera Spiritus, Johan. 3. v. 6. Quod natum est de Spiritu (& aquâ, v. 5.) Spiritus est. 3. *Spiritualis conjunctio cum Christo*, Galat. 3. v. 27. Quicumq; in Christo baptizati estis, Christum induistis. 4. *Spiritualis Christianorum inter sese conjunctio*, 1. Cor. 12. v. 13. In uno Spiritu omnes nos in unum baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi. 5. *Vita novitas*, Rom. 6. v. 3. 4. an ignoratis, quicumq; baptizati sumus in Jesu Christo, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, Col. 2. v. 12. Consepulti sumus Christo in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. 6. *Conscientiæ tranquillitas*, 1. Petr. 3. v. 21. Baptismus est bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. 7. *Vita aeterna*: Marc. 16. v. 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, 1. Petr. 3. v. 21. Baptisma nos salvos fecit. Res omnis huc redit: Quicquid 1. à spirituali peccatorum impuritate emundat. 2. Hominem carnalem mutat in spiritualem. 3. Cum Christo spiritualiter unit. 4. Christia-

nos inter se spiritualiter jungit. 5. Vitæ novitatem operatur. 6. Conscientiam reddit tranquillam. 7. Et dat vitam æternam, id omninò operatur veros, & proprios regenerationis effectus. Baptismus hæc omnia causatur, ut monstratum. Ergò baptis-
mus operatur veros ac proprios regenerationis effectus. Suffi-
ciant hæc ad detegendum errorem Photinianum.

51.

OBJICIUNT verò illi, errorem asserturi, tria argumen-
ta: quorum PRIMUM ducunt à *vilitate organi*, quod in bap-
tismo regenerationem non possit operari, & sic habet: *Aqua est
res merè materialis. Ergò non regenerat. Smalcus contra D. Frantz.
disp. 10. pag. 324. R. E. S. P. 1. Non tribuimus spiritualem effectum
aquæ, ut aquæ, siye juxta naturalem virtutem, sed quatenus fit
organum Spiritus, Job. 3. v. 5. & copulatur verbo, Eph. 5. v. 26. ef-
ficacissimæ illi virtuti divinæ, 1. Cor. 1. v. 24. Rom. 1. v. 16. 2. Sic verò
aquam esse rem merè terrenam, falsissimum est, utpote quæ facta
est virtutis & omnipotentia divinæ organum. 3. Nec possumus
esse dubii, quòd etiam res merè terrena possit adhiberi in orga-
num spiritualis gratiæ & causam divini effectus: nam *sonus ille
naturalis*, qui aures hominum ferit, est vehiculum divini verbi,
ideoq; divinæ potentia organum. *Sanguis hircorum & vitulo-
rum, & cinis vitulæ* est res merè terrena, & materialis, attamen
inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, ut loquitur *Ep.
Heb. 9. v. 13.* nimirum Leviticam illam, quæ typicè tollebat pecca-
ta. *Hircus* in desertum emissus, *Lev. 16. v. 21. 22.* erat res merè ter-
rena, ad constitutionem tamen, & ordinationem Dei, tollebat
extra castra omnia delicta totius populi, *v. 22. Carbo ignitus* de
altari sumtus, erat res merè terrena, sic tamen poscente, & volen-
te Deo, abstulit iniquitates *Esaia*, eumque mundavit à peccatis,
Esa. 6. v. 6. 7. Judicet ergò, quisquis judicare potest, quid nam
consequentia insit argumento Smalciano: aqua est res merè ma-
terialis. Ergò non regenerat; cùm in sacra actione baptismatis
jam facta fuerit divinum organum.*

52.

SECUNDUM: à *negatione eorum, quæ regenerationi sunt
connexa*, eamq; vel necessariò antecedunt, vel necessariò sequun-
tur;

tur; præcedit fides, sequitur pietas: neutra in infantibus: unde sic scribit *Theoph. Nicol. tract. de Eccles. & miss. cap. 10. pag. 111. Baptizantur qui ratione & fide carent, & tamen regenerantur? Baptizantur, quos, postquam adoleverint, plerosq; videmus omni fide & pietate carere, & tamen regenerati sunt? O fidem, ô regenerationem.* R E S P. 1. Verbo Dei omnium clarissimo adhibemus fidem, dicenti, quod ex carne caro natum est, hoc ex Spiritu sancto nasci spiritum per lavacrum illud regenerationis; nec movet inde quicquam; quod sensibus non cernimus, quomodo hoc fiat; non enim oculis, aut sensibus humanis subjicitur regeneratio, de ea igitur ex illis iudicium ferendum non est, adeò hoc ipsum obiectum Photinianum solido respòso dissolvit Christus, inquit: *Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quò vadat: SIC EST OMNIS QUI NATUS EST EX SPIRITU,* *Joh. 3. v. 8.* fallit ergò consequentia. 2. Videmus etiam multos, qui, postquam per verbum auditum sunt regenerati, nihilominus, omni fide & pietate carent, quos canibus ad vomitum, & porcis ad volutabrum revertentibus Petrus comparat, 2. *Epist. 2. v. 22.* nec tamen illos regeneratos fuisse, negandum est; quare & hoc nomine consequentia prorsus nulla est. Plura de baptismi antecedentibus, & consequentibus non opus est addere, ne ad articulum de Baptismo hinc dilabamur.

TERTIUM: *Ab absurdo:* Secuturum foret hoc absurdum, five incommodum, quod *nemo nisi baptizatus possit ingredi regnum cælorum.* *Socin. diss. de baptism. pag. 45.* R E S P. Nec id alicujus est importantiæ; non enim nostrum est ex proprio iudicio definire, sed definitiva expectanda à Deo; qui taliter de aqua baptismi pronunciat: cum eo itaq; transigat Socinus. Interim adharemus verbis Domini minimè fallacibus, persuasi, quod ordinaria via salutis hæc sit à Salvatore definita, nil interim judicantes de extraordinariis, nobisq; occultis Dei actionibus.

ERROR

ERROR V.

54.

Subiectum, seu materia regenerationis est homo, solus tamen adultus, nequaquam verò infantes. Siquidem regeneratio præsupponit, non tantum naturalem generationem, sed etiam vitæ & actionum correctionem.

Smalcus lib. de natur. Dei filio, cap. 4. pag. 20. Dum Smiglecius etiam probat, infantes consecuturos regnum Dei, & proinde regenerari debere asserit, hoc autem per baptismum fieri contendit, nihil sanum, nihil rectum dicit. Item pag. 21. plusquam absurdum est, ex tali impletione Spiritus S. qualis contigit Joanni puero, colligere regenerationem spiritualem, cum, ut ipsa vox docet, regeneratio præsupponat non tantum generationem naturalem, sed etiam corruptionem vitæ, & actionum, quæ cum in infante, antequam nascitur, esse nequeat, nullus etiam regenerationi locus in eo esse potest. Moscovius lib. de baptism. cap. 7. pag. 119. Agnoscat (Smiglecius) viam regenerationis, quæ adultis tantum proposita est, infantum ætati non convenire. Nec enim eos animum voluntatemq; ad normam Christi legis componere posse constat. Nam quæ affert, hereditatem non nisi filiis deberi, id quidem verè dicitur, sed de adultis, si in parta dignitate perstiterint. Similia habet idem autor. p. 121. 123. Theoph. Nicolaid. tract. de miss. ministr. cap. 10. pag. 111. Quid est, in errore crasso versari, si hoc non est, quod baptismus aquæ dicitur lavacrum regenerationis. Baptizantur, qui ratione, & fide carent, & tamen regenerantur? Baptizantur, quos, postquam adoleverint, plerosq; videmus omni fide, & pietate carere & tamen regenerati sunt. ô fidem, ô regenerationem. Martinus Czechovicus error. pædobapt. 12. pag. 130. Quantum attinet istam regenerationem, emundationem, & purificationem cordis, quæ fit ex auditu verbi, Spiritu sancto intus operan-

operante, velimus, nolimus, fateri cogimur, eam infantibus nequaquam competere. Plura *ibid.* pag. 132. 137.

EXAMEN.

Ut infantes omnibus Ecclesiæ bonis spoliant Photiniani, sic unâ cum baptismo salutarem illius effectum, regenerationem, iisdem adimunt. Sed benè habet, errant nescientes scripturam hæcenus discriminis adultorum, & infantum planè nesciam; eam verò si scrutemur, deprehendemus manifestè, *regenerationem infantum æquè esse ac adultorum*; id quod indè probamus.

I. Quia, cum hominibus indefinitè ac generaliter tribuatur regeneratio, infantes ab isto generali & indefinito pronunciato nusquam eximuntur. Certum & immotum fundamentum est: *Omnes homines regenerationis sunt capaces*: Quicquid enim caro natum est de carne, hoc de Spiritu debet ac potest renasci Spiritus, *Johan. 3. v. 6.* Sub hoc pronunciato comprehendi infantes, tamdiu certum est, donec probatum fuerit contrarium. Sicut enim non tenemur in specie probare, quòd mulieres, quòd adolescentes, quòd decrepiti senes &c. regenerentur, omnes enim illi hominum status sub generalibus pronunciatis intelliguntur comprehensi; sic eodem utentes jure; non agnoscimus, nos, quoad præsens thema, teneri ad specialem probationem, manemus quippè in generali enunciato, quòd omnis, qui de carne natus est, & cui destinatur regnum cœlorum, regenerari opus habeat, regenerandus ex aquâ & Spiritu. Et quod ad infantes, non minus illos, ac alium quemvis, beneficio regenerationis destinatos, & generali voluntate Dei comprehensos credimus tamdiu, donec apertè ex scripturâ comprobatum fuerit, velle Deum hinc exceptos infantes. *Argumentamur ita*: Quicquid carnaliter est genitum, & ex voluntate divinâ regni cœlorum fit particeps, hoc utique regenerandum est, & adhibitis mediis à Deo ordinatis, regeneratur.

Aaa

Infan-

Infantes sunt carnaliter geniti, & ex voluntate divinâ participes fiunt regni coelorum. Ergò infantes sunt regenerandi, & adhibitis mediis ordinariis, regenerantur actu.

§7.

Sed putant adversarii, se vel maximè, id quod petitur, ostendisse, adductis rationibus, per quas à regenerationis actu arceri infantes judicant. *I. Regeneratio præsupponit: 1. naturalem generationem. 2. vitæ & actionum corruptionem: illa verò non competit nondum natis, hæc nullis infantibus.* R E S P. 1. Discursus audimus, scripturas adduci non cernimus. 2. Regeneratio præsupponit non tam natiuitatem, quam generationem, quæ etiam est nondum natorum, licet eos non, nisi extraordinario modo, regenerari statuamus. 3. Quòd spiritualis illa regeneratio præsupponat actualem (hanc enim intelligunt illi) vitæ, & actionum corruptionem, nusquam legimus & credimus, omne illud esse habile subjectum regenerationis, quodcumque caro ex carne est genitum; quæ Christi sententia est, *Johan. 3. v. 6.* nullum infantum, qui etiam in utero latitantes, carnaliter sunt geniti, eximens. 4. Concedimus verò, quòd generatio corruptionem, & immundiciem spiritualem requirat; sed ex nullo documento deprehendimus, immundiciem oportere esse actualem; nec sufficere *connatam* (de quâ supra) licet nec infantibus actualia deesse, jam sit demonstratum.

§8.

II. Non possunt infantes animum voluntatemq; ad normam legis Christi componere. R E S P. 1. Non requiritur hoc, ut homo sive mentem, sive voluntatem ad legem Christi componat, non enim in regeneratione, vel conversione partibus agentis fungitur, sed patientis; in quam sententiam plura nunc non addimus. 2. In regenerato requiri bonos motus, & amorem sanctitatis, studiumque, admittimus; eosdem verò in infantibus deficere, quomodo probabunt adversarii? nescimus, unde veniat, aut quò tendat ventus, sic est omnis ex Deo natus: abscondita cordium hæc sunt, quæ frustra rimamur, non plus inventuri, quàm si in spiritualem istum motum Johannis adhuc Embryonis scrupulosius

lofius

lofius inquirere voluerimus. 3. Sicut adulti legem sectantes sæpè impingunt, quamvis bonos motus Spiritus sancti sentiant, ita infantes alicubi impingunt, nec tamen Spiritus sancti agitatio illis deneganda erit.

III. *Regeneratio fit ex auditu verbi, qui nequaquam cadit in infantes.* RESP. Verbum Dei esse organum regenerationis, ipsi asseruimus, quòd verò *solitarium & unicum*, quomodo obsecro probabunt? æquè claris verbis scriptum est, baptismum regenerationis organum esse, atque verbum; cur ergò de utroque non credemus idem? Jam verò unius inclusio non fit alterius exclusio; sicut malè negatur; fidem nasci ex miraculis, quia ex auditu verbi oritur, cum eadem sit ex utraq; causâ; sic, posito, quòd verbum sit organum renascentiæ, non ideò negatur baptismus eundem effectum operari: consequentiam proindè in totum negamus. Quæ aspergit *Theophilus Nicolai* loc. alleg. ea examen præcedentis erroris confutavit. Manetq; denuò hæc conclusio: Infantes sunt regenerationis subjectum, & renascuntur actu, ubi divinitus ordinata media fuerint adhibita.

II. *Quia dantur sufficientes causæ regenerationis infantum.* Etenim duo sunt genera causarum, agentium & patientium. *Agentes* hîc sunt I. *Deus*, qui primaria hujus actionis causa, voluntate maximè beneficâ parvulos amplectitur, ideò Christus salvator vult eosdem ad se venientes nò impediri, quòd illorum sit regnum cœlorum; ad quem amorem pluribus etiam probandum, complectebatur infantes sibi oblatos, ac manibus impositis illis benedicebat, *Marc. 10. v. 14. seq.* Hinc asserimus: I. *Dei voluntatem* ad regenerationem infantum; cum enim non intromittat, nisi renatos, ad regnum cœlorum, infantibus autem hanc felicitatem faciat eeu propriam, manifestum est, velle Deum illorum renascentiam. 2. *Dei potentiam*, quam in dubium vocemus, aut limitibus circumscribamus, absit, est enim potens omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, *Eph. 3. v. 20.* II. *Causa organica est minister*, cui incumbit facere voluntatem mittentis, nec in arbitrio ejus est

fitum, operam suam infantibus prout fuerit lubitum, denegare, vel probare. *III. Media*, per quam & Deus, & minister operantur, est gemina. 1. *Verbum*. 2. *Baptismus*: quarum illa adultis, hæc simul etiam infantibus servit, ut quamvis verbum non audiant, baptismi tamen sint capaces, ut suo loco demonstrabitur fufius. *Causa patiens*, sive materia, in quam hæ causæ agunt, est homo regenerandus; cuius si quæ sunt necessaria requisita, ea in infantibus omninò reperientur; & licet infantes ad regenerationem rectè dispositos, non probemus à *priore*; attamen id luculenter docetur: 1. *A simili effectu spirituali*, hoc modo: quicquid est capax fidei, hoc etiam capax est regenerationis. Infantes sunt capaces fidei. Ergò & regenerationis. Minorem cõfirmat exemplū Johannis, *Luc. 1. v. 15. 41. 44.* aliaq; plura de quibus suo loco. 2. *Ab opposito*: quod capax est malitiæ, id etiã pietatis, adeoq; regenerationis, quia opposita sunt in eodẽ subjecto, quod, quando est capax unius, est quoq; capax alterius: Infantes sunt capaces malitiæ, quod *Sect. 2. cap. 2.* probavimus; Ergò infantes sunt capaces pietatis, adeoque regenerationis. Impugnant verò Adversarii dispositionem, & habilitatem infantum ad regenerationem, adducendo quædam illius requisita, ab infantibus tamen aliena; quæ jamjam expeditimus: Nunc verò *argumentamur*: Ubicunq; dantur omnes causæ regenerationis agentes, non impeditæ, & patientes rectè dispositæ; illic datur regeneratio: sed circa infantes dantur omnes causæ regenerationis *agentes*, eaque non impeditæ, & *patientes* rectè dispositæ. Ergò in infantibus datur regeneratio. Sivè: ubicunq; est. 1. Deus regenerare volens, & potens. 2. Minister serviens actui illi. 3. Actionis medium. 4. Et subjectum actionis capax, illic fieri non potest, quin sequatur regeneratio. Circa infantes est. 1. Deus regenerare volens & potens &c. Ergò fieri non potest, quin sequatur regeneratio.

61.

III. Quia infantes ingrediuntur vitam æternam.
Non consideramus hîc vitam æternam aliter, quàm juxta pronuncia-

nunciata sacrarum literarum, quæ negant, quemquam ingredi vitam æternam, nisi renatos. *Job. 3. v. 5. Amen, Amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. I. Cor. 15. v. 50. Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Caro autem, & sanguis est homo, juxta naturalem suam conditionem Matt. 16. v. 17. Caro & sanguis non revelavit tibi; & luculenter exponitur, quid sit illa caro, quæ à regno cælorum prohibetur, omne nimirum id, quod ex carne natum est. Hinc argumentamur: Quisquis carnaliter genitus ingreditur regnum cælorum, is est regeneratus: Infantes carnaliter geniti, ingrediuntur regnum cælorum. Ergò infantes sunt regenerati.*

IV. Quia exempla extant infantum regeneritorum, Sic argumentamur. Si aliqui infantes regenerantur, falsum est, nullum regenerari; quia contradictoriæ simul veræ esse non possunt. Atqui; Aliqui infantes sunt regenerati. Ergò falsum est, nullum infantem regenerari. Exempla producimus, primò quidem *extraordinarium*, *Johannis Baptistæ*, adhuc in alvo maternâ viventis; de quo extat & Angeli verbum; *Spiritu Sancto replebitur* ἐπι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ & *etiam ex utero matris sue Luc. 1. v. 15.* Et historia, quòd Mariâ salutante Elisabetham, in ejus utero *exultavit infans præ gaudio*; fides autem & spirituale gaudium ex præsentia Messia jam in carne venientis conceptum, est ex Spiritu Sancto, in quo autem homine est fides, spirituale gaudium, ipseque Spiritus Sanctus, eum non possumus non renatum dicere, ideò & *Smalcus* confiteri opus habuit, *Spiritum S. dari non nisi renatis. Nov. monst. c. 20. p. 166.* Argumentamur ita: Omnis, Spiritu Sancto, fide, ac spirituali gaudio donatus, est renatus: Johannes nondum natus erat, Spiritu Sancto, fide, ac spirituali gaudio donatus. Ergò Johannes nondum natus erat renatus. Miserrimè se torquent adversarii, cōfictis variis elusionibus, de quibus hîc dicendi locus non est. Unicum hoc illis in aurem, non adduci Johannis exemplum, ut sic argumentemur: Johannes fuit renatus, dum fuit infans. Ergò omnes infantes renascuntur,

Aaa 3

cuntur,

62.

cuntur, ut contra conscientiam suam nos inferentes fingit. *Smalc. disp. 5. contra D. Franz pag. 161. disput. 10. p. 313.* Deinde sunt exempla quæpiam *ordinaria*, nempe illorum infantum, qui in V. Testamento circumcisionem acceperunt. Statutum erat divinum: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Gen. 17. vers. 10. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. v. 12.* Quid autem sit circumcisio, docetur *v. 7. statuiam pactum inter me, & te &c. ut sim Deus tuus & seminis tui post te*, pactum scilicet non corporale, & externum duntaxat, sed etiam spirituale; interprete Paulo Apostolo. *Rom. 4. v. 9. 11. Fides reputata est Abrahæ ad justitiam; & signum accepit circumcisionis, sigillum, σφραγίδα, justitiæ fidei: ut finis & effectus circumcisionis sit obsignatio justitiæ fidei & circumcisio hinc definienda, sit sigillum obsignans justitiã fidei.* Jam ita *argumentamur*: Quicumque secundum legem, Dei-que voluntatem circumciditur, adeoque circumcisionem adhibet in usu legitimo, nec illã abutitur, is accipit sigillum justitiæ fidei: Infantes secundum legem, & voluntatem Dei circumcidebantur, & adhibebatur circumcisio octiduanis usu legitimo. Ergo infantes octiduanis accipiebant sigillum justitiæ fidei. Porro: ubicunque est fides, justitia, & utriusque per *σφραγίδα* obsignatio, illic est regeneratio: Sed in octiduanis infantibus erant, fides, justitia, & utriusque confirmatio. Ergo in octiduanis infantibus erat regeneratio.

3. V. Quia Infantes sunt participes effectuum regenerationis. Certum axioma est: *Cui competunt effectus per se, illi competit etiam causa per se*: ut sic liceat *argumentari*: Quisquis est particeps ejusmodi bonorum, quæ regenerationem per se insequuntur, eum oportet esse regnitum. Infantes sunt participes bonorum, quæ regenerationem per se subsequuntur. Ergo infantes oportet esse regnitos. Minorem confirmat effectuum enumeratio, quales sunt: 1. *Fides: credens, & renatus sunt voces æquè latè patentes, confitente, ægrè licet, Moscorovio. lib. de baptis. c. 7. p. 120. Hinc argumentum. Qui credit, est renatus. Qui-*
dam

dam infantes credunt (quod probabunt sequentia) Ergò quidam infantes sunt renati. 2. *Libertas à damnatione eternâ*: eadem etiã infantes gaudēt (sic tamen ut intra ordinē divinitus sancitum sese continent) de his enim ait Salvator *Matth. 18. v. 14. non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis: & rursum: talium (infantum) est regnum cœlorum Luc. 18. v. 15. 16.* Hinc *argumentamur*: Quisquis subterfugit æternam damnationem, renatus est, naturã enim sumus filii iræ *Ephes. 2. v. 3.* Et consequenter damnationis *Deut. 32. v. 22.* nec transimus ex hoc statu iræ nisi per renascentiam: Infantes intra ordinem divinitus sancitum sese continent (de cœteris non judicamus) subterfugiunt æternam damnationem. Ergò infantes intra ordinem divinitus sancitum sese continentibus sunt renati, sive renascuntur. 3. *Filiatio & hereditas*: ut generatio est causa filiationis naturalis, sic regeneratio causa filiationis spiritualis; hinc, quisquis est spiritualis Dei filius, ex Deo est natus; juxta illud: *Dedit potestatem aternam filios Dei fieri, his qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt Job. 1. v. 12. 13.* Porro: ex filiatione est hæreditas *Rom. 8. v. 17. Si sumus filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; unde hæc nascitur regula: *Quisquis particeps est hæreditatis Dei, is filius est, & consequenter ex Deo natus.* Subsumimus: Infantes sunt particeps hæreditatis Dei. Ergò sunt filii. Ergò ex Deo nati. Majoris veritas adeò firma est, ut non audeant negare adversarii, & *Moscorovius* testimonium aperte dicat; *quæ affert; hæreditatem nõ, nisi filiis deberi, id quidem verè dicitur: de baptis. cap. 7. p. 119.* Minor forsã in dubium trahetur; namque *Moscorovius*, verbis modò citatis immediatè annectit; *sed de adultis, si in partã dignitate perstiterint*: quamvis hîc negata, eadem paginã videatur concedere; probatur verò ex insigni pronunciato Christi. *Luc. 18. v. 16. talium (loquitur a. de infantibus v. 15.) est regnum cœlorum. 4. Dilectio & Benedictio*, quæ filiorum est. *Gen. 27. v. 4. c. 49. v. 9 seq.* aut certè illorum, qui in gratia vivunt apud Deum. *Argumentamur*: Quos Christus impensè amat, & quibus benedicit, hi sunt renati. Infantes quosdam impensè amat Christus iisque benedicit. Ergò quidam infantes sunt renati.

ERROR.

ERROR VI.

64.

Denique: hoc Dei beneficium, quo homines regenerat, non fuit perfectum, antequam Christus mortuus, & resuscitatus glorificaretur; namque Deus per Christi resurrectionem nos regeneravit in spem vivam; ideò nec Apostoli ante Christi mortem fuerunt perfecti filii Dei.

Smalcus lib. de vero & naturali Dei fil. cap. 5. pag. 35. Dico, ex verbis Christi Job. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei, non sequi, tunc, cum Christus istud diceret, aliquem re ipsa renatum fuisse ex aqua & Spiritu. Christus n. id tantum dicit, quod factum opus erat ad salutem, non verò, quid tunc factum sit, aut reverà tunc fieri potuerit: Imò sequentia Christi verba contrariū docēt, nēpē id antē ejus exaltationē difficilimè fieri potuisse, dū ait: Et sicut Moses exaltavit serpentē in deserto, ita oportet filium hominis exaltari, ut omnis, qui credit in eū, non pereat, sed habeat vitam eternam &c. In his n. verbis Christus satis eleganter & argutè ostendit, tunc demum intellecturum Nicodemum & omnes alios, in se credendum esse (quod idem est cum ista regeneratione ex aqua & Spiritu) postquam exaltatus fuerit. Et in margine scribit: Ante mortem Christi regenerationem datam non esse. pag. 36. in margine: Apostolos ante Christi mortem non fuisse perfectos Dei filios pag. 37. Unde constat, post Christi demum glorificationem, ista omnia perfectè fieri debuisse. Apparet igitur neminem ante Christi exaltationem eo modo fuisse Dei filium, quo esse debent sub Novo Testamento. Quod cū ego clarissimis sacrarum literarum testimoniis comprobassem, quibus affirmatur, Deum nos regenerasse ad spem vivam per resurrectionem Jesu Christi & eundem Deum ex mortuis

tuis

uis resuscitasse Christum, & dedisse ei gloriam, ut fides, & spes nostra in Deo sit &c.

EXAMEN.

Ut adversariis omnia Christi beneficia restringere placet ad tempus ministerii, & passionis dominicæ, sic regenerationem non credunt ante passionem, & mortem Christi cuiquam contigisse: quo fundamento nitantur, nobis non revelant, sine dubio, quia illis omninò destituuntur: Sed miramur Theologiã, in qua quidvis decernere cuivis liberum est, quod tamen iidem hi Theologi in Romano Pontifice vehementer improbant & rectè. Verùm: licet negationis, imò restrictionis rationem ab adversariis petere, forsàn sufficeret, his tamen argumentis errorem urgebimus,

65.

I. Quia nusquam legitur regeneratio ad certum tempus restricta, nullum etiam Dei decretum; nec ullibi vocatur in dubium, regenerationis per omnia tempora Ecclesiæ duratio, nec denique ulla dubitandi, vel negandi ratio deprehenditur, aut ab adversariis datur. Necessum est, ut, cum divini favores ampliandi sint, nequaquam verò restringendi, certa sit & evidens causa restrictionis: Jam verò id operæ damus adversariis, ut restrictionis fundamentum ostendant, & causas evidentes monstrent. Nos interim *argumentamur*: Omne divinum donum, quod ab ipso Deo nulli certo tempori est alligatum, nec ulla suppetit causa illud ad definita tempora restringendi, id ratione temporum universale censerì debet. Tale autem donum est regeneratio. Ergò regeneratio ratione temporum universalis censerì debet.

66.

II. Quia illis, qui ante Christi mortem vixerunt, æquè potest competere definitio regenerationis, atquè his, qui post eam vixerunt. Sivè definitionem sumas eam, qua Ecclesiæ Evangelicæ regenerationem definierunt,

67.

Bbb

actum

actum divinum, per quem homo è parentibus peccatoribus caro natus, spiritualiter à Deo regeneratur, ut abjecto peccati imperio, mente, corde, Spiritu divina amet, sapiat, faciat, atque sic homo novus, & spiritualiter vivens è morte peccati surgat; sive definitionem Photinianam: Regeneratio est integra animi & actionum mutatio. Smalc. de natur. Dei fil. cap. 2. pag. 17. Regeneratio est vite antea actæ secundum doctrinam Domini Jesu reformatio. Moscorovius de baptismo cap. 7. pag. 121. Item descriptionem renati traditam à Smalcio disp. post. 12. pag. 449. Descriptio talis est: Non regeneratus, qui peccatis implicitus est, hoc est, qui vel unius pluriumve peccatorum habitum habet, vel, sibi peccandi occasione oblata, à peccando non adeò frequenter abstinet: Regeneratus verò nec ullum peccati habitum habet, & sibi peccandi occasione oblata, ut plurimùm à peccando abstinet. Qua descriptione equidem nescio, an aliquid rectius & religiosius dici potuerit: Utraque quadrat satis exactè in eos etiam, qui ante mortem Christi vixerunt: cum enim illi essent caro ex carne nati, imperium peccati abjecerunt, Psal. 119. v. 67. 71. Psal. 32. v. 5. Mich. 7. v. 18. 19. mente, corde, ac Spiritu divina amarunt & fecerunt Psal. 27. v. 4. Psal. 84. v. 2. seq. Ps. 139. v. 23. Ps. 143. v. 11. atque sic novi homines Psal. 51. v. 12. Ezech. 11. v. 19. spiritualiter viventes. Jer. 15. v. 16. Ezech. 11. v. 20 è morte peccati surrexerunt. 2. Sam. 12. v. 13. c. 24. v. 10. seq. Ps. 6. v. 2. seq. Ps. 51. v. 3. 2. Par. 33. v. 12. 13.

68.

Unicum forsan desiderabit Moscorovius, quod secundum præcepta Christi illi non vixerint, utpotè quæ nondum erant tradita; sed hoc 1. vanum est, nam undè probatur, ad regenerationem requiri, ut præstetur obedientia divinis mandatis, præcisè, quatenus illa Christi mandata sunt? 2. falsum est, ut enim mittamus, an è præcepta moralia nova data sint à Christo, cōcedendum est, ante Christi mortem jam extitisse ejus mandata. Matth. 5. v. 2. seq. ut & alibi, promulgata, ut discipuli Christi (in quibus & Nicodemus) magistri præcepta secuti omninò vitam antea actam secundum illa reformantes jam dicendi fuerint renati. Argumentamur itaque. Cui competit definitio, de illo affirmatur definitum. Sanctis ante Christi mortem viventibus competit

petit regenerationis definitio. Ergò de sanctis ante Christi mortem viventibus affirmatur regeneratio.

III. Quia iisdem competunt actus regenerationis. Dicimus *actus regenerationis*, emundationem, & ablutionem à peccatis, peccatorum remissionem, fidem, justificationem, quos omnes regenerationi essentielles, & constitutivos, supra monstravimus; ideò firmiter *argumentamur*: Quicumq; credit, justificatur, sanctificatur, à peccatis abluatur, & mundatur, ac remissionem peccatorum impetrat, idem quoque renascitur. Pii ante Christi mortem, 1. *Crediderunt*, quod ostendit generaliter sententia Apostolica de patribus antiqui foederis loquens *Act. 15. v. 11. per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* In specie *Abraham*, qui *credidit*, & imputatum est illi ad justitiam. *Gen. 15. v. 6. Rom. 4. v. 22. seq. Hanna, Simeon*, & cum his multi alii expectantes redemptionem Israël *Luc. 2. v. 25. 38.* Imò *Johannes* prædicabat *fidem* in eum, qui *venturus* erat, *Act. 19. v. 4.* Et Dominus *Jesus* prædicabat Evangelium regni *Marc. 1. v. 14.* Cujus summa erat, *pœnitentiam agite, & credite Evangelio Marc. 1. v. 15.* post, Apostoli in Judæa annunciabant Evangelium, & fides illis adhibebatur *Matt. 10. v. 6. Luc. 10. v. 17. 2. Justificati sunt. Luc. 18. v. 14.* Descendit publicanus justificatus in domum suam. 3. *Sanctificati, Ezech. 20. v. 12. Ego Dominus sanctificans eos. Ps. 4. v. 4. mirificavit Dominus sanctum suum Marc. 6. v. 20.* Herodes sciebat, *Johannem* virum justum & sanctum, &c. 4. *A peccatis abluti & mundati sunt Ps. 51. v. 3. lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me v. 8. asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & supra nivem dealbabor Esa. 1. v. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum &c. Johannes* baptizans in remissionem peccatorum. *Luc. 3. v. 3. annon aperuit fontem promissum domui Juda? de quo Zach. 13. v. 1. In die illa erit fons patès domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatorum. Et quid sunt ablutiones Leviticæ, nisi typicæ peccatorum ablutiones? 5. Et peccatorum remissionem impetrarunt. 2. Sam. 12. v. 13. Dominus transtulit peccatum tuum. Luc. 7. v. 47. remittuntur ei peccata multa v. 48. remittuntur tibi peccata tua Matt. 9. v. 2. Confide fili,*

Bbb a

remit-

remittuntur tibi peccata tua. Ergò pii, qui ante Christi mortem extiterunt, fuerunt regenerati.

70.

IV. Quia in illos operabantur causæ regenerationis. Causas superius definivimus, Dei gratiã, verbum, sacramentum baptismi, & ministerium Ecclesiasticũ, quamvis a. *baptismus* sit sacramentum Novo Test. proprium, ut regenerationi, veterũ nõ servierit, quia tamen eo tempore placuit Deo per *circumcisionem* obsignare justitiam fidei *Rom. 4. v. 11.* & in fœdus suscipere Abrahæ posteros *Gen. 17. v. 10.* loco baptismi (qui ob similem operationem appellatur circumcisio Christi *Col. 2. v. 11.*) circumcisio illis fuit renascentiæ organum; quamvis etiã baptismus ante Christi mortem fuerit administratus *Matt. 3. v. 9. Joh. 4. v. 1. 2.* Verbum est medium renascentiæ, ut luculẽter Petri assertio habet *1. Epist. 1. v. 2 3.* Quod Photiniani adeò non improbant, ut illud constituent solum & unicum medium regenerationis: Smalcus disp. 10. cont. D. Frantz p. 324. *Apertè dicit Catechismus, esse aliquid vicinum idololatriæ, cum id quod soli Deo & ejus verbo ascribi debet, ascribitur rei elementariæ:* Dei gratiam, & Ecclesiasticum Ministerium Veteribus non defuisse in confesso est, *Luc. 4. v. 16. sq. Act. 15. v. 21.* Hinc *arguemur:* Ubicunque ponuntur omnes causæ regenerationis, illic ponitur effectus, renascentia. In iis etiam qui ante Christi mortem vivebant, ponebantur omnes causæ regenerationis. Ergò in iisdem ponendus etiam est effectus, ipsa nimirum regeneratio.

71.

V. Quia iidem perceperunt effectus regenerationis proprios. Ubicunque sunt effectus proprii, illic oportet adesse causam propriam; sic ubi sunt propria effecta regenerationis, illic non potest non esse regeneratio ipsa. Sed, in hominibus ante Christi mortem viventibus reperiuntur propria effecta regenerationis; quod ipsa enumerando probabimus. 1. Est *vita novitas.* Æstimatur vita vel ex rei viventis esse, vel ex operatione: utrinque patet vitæ novitas in patribus. Quoad ipsum *vivacitatem* rei viventis taliter: Quicumque fit spiritualiter homo novus, Deo placens, is exuit veterem hominem, adeoque de novo natus est, (sic enim describit Novi Testamenti scriptura regenera-

tionem:

rationem: *Eph. 4. v. 22. seq. Col. 3. v. 9. 10.*) viventes ante Christum passum, taliter fiebant spiritualiter novi homines, Deo placentes. Ergo iidem veteri homine exuto, de novo fuerunt nati; Minor hinc certa est: Cui datur novum cor, & novus spiritus, is est novus homo: piis ante Christum mortuum viventibus datum est cor novum, *Ezech. 11. v. 19.* Et novus Spiritus, *Psal. 51. v. 11.* Ergo pii ante Christum mortuum viventes de novo fuerunt nati. Ex operatione verò: quicumq; cum minus honestè vixissent, postmodum conversi vixerunt piè, sanctè, hi novitatem vitæ ostenderunt in operibus suis: Quidam pii ante Christum passum, cum prius vixissent minus honestè, postmodum conversi vixerunt piè, quod suis exemplis ostendunt, David poenitens, *Psal. 51. v. 12. Psalm. 119. v. 71.* Manasses, *2. Par. 33. v. 12. 13.* Israelitæ, *Num. 14. v. 39. 40.* Mulier peccatrix, *Luc. 7. v. 48.* Zachæus, *Luc. 19. v. 8.* aliiquè peccata sua deplorantes, vitamq; corrigentes. Ergo quidam pii ante Christum passum novitatem vitæ operibus suis ostenderunt.

2. *Filiatio*: Est & illa insignis effectus regenerationis; quamvis enim homines per adoptionem sint Dei filii, & Angeli, qui tamen non renascuntur filii Dei appellentur, videmus tamen, adoptionem hominum fieri per regenerationis gratiam, dicente Christo: *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati sunt. Job. 1. v. 12. 13.* Atq; sic rectè procedit argumentatio: Quicumq; est Dei filius, idem ex Deo genitus: Homines pii ante Christum passum viventes fuerunt filii Dei. Ergo iidem fuerunt ex Deo per renascentiam geniti. Minor manifesta est, cum ex aliis pluribus locis, *Psal. 73. v. 15. Ose. 1. v. 10. &c.* tum *Matt. 9. v. 2. Confide fili, remittuntur &c. Luc. 6. v. 35. diligite inimicos &c. & eritis filij altissimi.* 3. *Participatio regni cælorum*: Caro, & sanguis non potest regnum Dei possidere, *1. Cor. 15. v. 50.* quod non ingrediuntur, nisi renati, affirmante Domino Jesu, etiam cum iuramento: *Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei, Job. 3. v. 3.* atq; hoc ad Nicodemum loquebatur, qui non sollicitus erat, qualiter salvandi sint homines post Christi mortem, sed de præsentè, & speciatim de sua per-

sonâ, quomodo possit ipse (qui nescius erat, etiam ne diem, multò minus, an tempus mortis Christi supervicturus esset) regnum Dei ingredi: ne igitur absurdus esset Dominus Jesus, significavit, regenerationem necessariam esse NICODEMO, imò TUNC etiam, quando hæc loquebatur, OMNI regnum cœlorum videre desideranti. *Argumentamur* itaque: Quicumque ante Christi mortem ingressus est regnum cœlorum, is non est caro, & sanguis, hoc est, non vivit in ea sorte, in quam per naturalem generationem peccatis inquinatam devenit. At; ante Christum mortuum multi pii homines ingressi sunt regnum cœlorum, *Gen. 5. v. 24. 2. Reg. 2. v. 11. Luc. 16. v. 22.* Et animæ sanctorum, quorum corpora tempore patientis Domini resurgebant, *Matth. 27. v. 52.* Ergò ante Christum mortuum multi pii homines fuerunt regeneriti.

72.

VI. Quia adversarii per sua propria themata negare non possunt, ante Christi mortem pios fuisse renatos. Nam competit illis: 1. *Definitio* regenerationis, quam Photiniani tradunt, de quâ re jam actum. 2. *Fides*: quam non possunt derogare iis, qui vixerunt vel in veteri Testamento, quorum pater est Abraham, vel tempore ministerii Christi; namq; tota historia Evangelica hujus rei plena est, *Johan. 2. v. 11.* crediderunt in eum discipuli ejus, *v. 23.* multi crediderunt in nomine ejus, *cap. 4. v. 39.* multi Samaritanorum crediderunt in eum, *v. 53.* credidit ipse, & domus ejus, *cap. 6. v. 69.* nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei: *Matth. 8. v. 10.* Tantam fidem non inveni in Israel &c. Sed *credere est regenerari, Smalcius disp. 12. poster. contra D. Frantz. pag. 458.* Regeneratio fide in Jesum Christum nititur; imò ipsa est fides in Jesum Christum. 3. *Propria consequentia renatorum*, quæ censet Smalcius *disp. 12. poster. contra D. Frantz. pag. 452. ea,* quòd 1. *Crucifixerunt carnem suam cum concupiscentiis suis.* 2. *Destructum in illis est corpus peccati.* 3. *Non amplius sunt in carne.* 4. *Liberati à peccato.* 5. *Non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant.* 6. *Liberi sunt à lege peccati.* 7. *Libe-*

7. *Liberati à lege mortis.* Quæ sanè omnia, (& quicquid, ut proprium renato potest tribui) inveniuntur in iis, qui mortem Christi antecesserunt, nec apparet, quodnam ex iis omnibus possit veteribus, præsertim verò Christo in terris prædicante, viventibus denegari. *Argumentamur* itaq;: Cui competit: 1. Definitio regenerationis à Photinianis tradita. 2. Fides, quæ idem est quod renascentia. 3. & propria consequentia renatorum, à Photinianis assignata, is juxta mentem & opinionem Photinianam est renatus. Piis Christi mortem antegressis, hæc omnia competunt. Ergò pii Christi mortem antegressi juxta mentem & opinionem Photinianam fuerunt renati

OBJICIT *Smalcus* in contrarium hanc rationem: Regeneratio fide in Jesum Christum nititur, imò ipsa est fides in Jesum Christum: At, huic locum non fuisse re ipsa, (quando Petrus Christum abnegabat) inde patet, quòd Deus Christum ex mortuis resuscitavit, & gloriam ei dedit, ut nostra fides, & spes in ipso esset, *disp. 12. poster. cont. D. Frantz. pag. 458.* idque probat ex *1. Pet. 1. v. 3.* regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, *lib. de vero & natur. Dei fil. cap. 5. pag. 37.*
RESP. 1. Concesso, resuscitationem esse confirmationem fidei, non tamen extitit Dominica resurrectio unica causa regenerationis: jam enim probatum est, ante Christi mortem multos in ipsum credidisse, quod cum sit certissimum, nec ullo modo consistat cum assertionem Smalcianâ, malumus huic dicam falsitatis scribere. 2. Causa aut occasio fidei est varia, nec tamen una tollit alteram: Nathanael credebat in Dominum, quia visus ab illo fuerat sub ficu, *Joh. 1. v. 48. 49.* Ergòne prius in Christum non fuit creditum, quàm Nathanael esset sub ficu? Similiter Samaritani credebant in ipsum propter verbum mulieris, *Joh. 4. v. 39. Et c. 6. v. 30.* dicunt Judæi; *quod facis signum, ut videamus, & credamus? cap. 8. v. 30. multi crediderunt illius verbo: cap. 20. v. 31. hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei. Act. 19. v. 4. Johannes baptizavit in eum, qui venturus est, ut in ipsum crederent, hoc est, in Jesum Christum.* Quæ autem & quot absurda sunt secutura, si rebus

73.



rebus hisce fidei circumstantiam alligatam voluerimus? Negamus itaq; argumenti consequentiam, quia plures sunt causæ fidei, quàm Christi mors & resurrectio, licet & hi actus suo modo ad fidem faciant: 3. Credebatur in Christum propter mortem & resurrectionem, quando illa adhuc *futura* erat; ideò non sequitur: mors & resurrectio sunt fidei causa. Ergò non prius creditur, quàm ipse mortuus & resuscitatus fuerit. Sicuti non sequitur: Christus ideò honoratur, quia datum illi est iudicium, *Johan. 5. v. 22. 23.* Ergò Christus non est prius honorandus, quàm iudicium fecerit. 4. Denique, quod ad locum Petrinum; *regenuit nos &c.* 1. ostenditur illic non tam causa regenerationis, quàm spei, ad quam perducit regeneratio; cujus fundamentum in morte Christi constitutum, non inficiamur. 2. sicut autem regeneratio fit per verbum, item per aquam & Spiritum, sic quoque fit per divinam gratiam, per ministerium Ecclesiasticum, nec tamen sequitur, si per baptismum, Ergò non per verbum; antequam baptismus institueretur &c. Sic inconsequens est: Si regeneramur per resurrectionem. Ergò non per verbum & baptismum, antequam Christus resurgeret.




05 A 1945

ULB Halle 3
003 785 327


1945
del.





Dilputationum
ANTIPHOTI-
NIANARUM
SEXTA

De
Tertio hominis

statu, qui est,
REPARATIONIS
IN INCLITA VVITTEBERGENSI
ACADEMIA

Proposita

à
NICOLAO HUNNIO,
S.Theol. Doct. & Prof. publ.

Respondente

JOHANNEDOLMANNO

Rigã-Livono

Ad diem 14. Junij.

WITTEBERGÆ.

Typis Heredum Johannis Richteri.

ANNO M. DC. XX.